QUAESTIONES AD XENOPHONTIS ELOCUTIONEM PERTINENTES

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

IN

ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI
CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

GUALTERUS HORN
NEOMARCHICUS

HALIS SAXONUM
FORMIS DESCRIPSERUNT KARRAS, KROEBER & NIETSCHMANN
MCMXXVI

De dissertatione probanda ad philosophorum ordinem rettulerunt

Carolus Praechter
Otto Kern

Examen rigorosum habitum est a. d. III non. Quint. anni h. s. XXIV.

PARENTIBUS CARISSIMIS

SACRUM

Argumentum.

Editiones operum Xenophonteorum sequor has:

Historia Graeca, rec. Otto Keller, ed. mai., Lipsiae apud Teubn. 1890, ed. min. 1912.

Institutio Cyri, rec. Guilelmus Gemoll, ed. mai., ibidem 1912, ed. min. stereot. 1912.

Expeditio Cyri, iterum rec. Guilelmus Gemoll, ed. mai., ibidem 1909.

Commentarii, recogn. Walther Gilbert, ed. mai. stereot., ibidem 1921.

Scripta minora, fasciculus prior, Oeconomicum, Convivium, Hieronem, Agesilaum, Apologiam Socratis continens, post Ludovicum Dindorf it. ed. Th. Thalheim, ibidem 1915.

Scripta minora, fasciculus posterior, opuscula politica, equestria, venatica continens, post Ludovicum Dindorf ed. Franciscus Ruehl, ibidem 1912.

Xenophontis opera omnia recognovit brevique adnotatione critica instruxit E. C. Marchant tomus I Historia Graeca (Oxonii 1900), tomus II Commentarii, Oeconomicus, Convivium, Apologia Socratis (ibidem 1900) (editio altera 1919), tomus III Expeditio Cyri (ibidem 1904), tomus IV Institutio Cyri (ibidem 1910), tomus V Opuscula (ibidem 1919).

PRAEFATIO.

1. Quae iudicia antiqui scriptores de Xenophontis sermone tulerint cum summatim tum proprietatem eius quae *ἀφέλεια* dicitur spectantes qualemque hanc propriam speciem interpretati sint demonstratur.

De genere dicendi Xenophonteo iam apud antiquos scriptores, qui quidem aliquid studiorum historiae litterarum impertiverint, iudicia exstant, quae, cum sint notatu dignissima, a nobis in hac quaestione instituenda respici debent. Praeter Quintilianum, qui Xenophontis «iucunditatem inadfectatam, sed quam nulla consequi adfectatio possit» praedicat[1]), et Diogenem Laertium, cuius verba *ἐκαλεῖτο δὲ καὶ Ἀττικὴ Μοῦσα γλυκύτητι τῆς ἑρμηνείας*[2]) vel maxime apud posteros pervagata sunt, ratio nobis habenda est Dionysii Halicarnasei, iudicis illius litterati temporis Augustei. Is litteris, quas dedit ad Cn. Pompeium Geminum, censuram historicorum Graecorum scribens etiam in Xenophontis elocutionem inquirit eumque his verbis comparat cum Herodoto[3]): *ὁ δὲ λεκτικὸς* (scil. *χαρακτὴρ*) *πῆ μὲν ὅμοιος Ἡροδότου, πῆ δὲ ἐνδεέστερος· καθαρὸς μὲν γὰρ τοῖς ὀνόμασιν ἱκανῶς καὶ σαφὴς ⟨καὶ ἐναργὴς⟩ καθάπερ ἐκεῖνος· ἐκλέγει δὲ ὀνόματα συνήθη τε καὶ προσφυῆ τοῖς πράγμασι, καὶ συντίθησιν αὐτὰ ἡδέως πάνυ καὶ κεχαρισμένως οὐχ ἧττον Ἡροδότου. ὕψος δὲ καὶ κάλλος καὶ μεγαλοπρέπειαν καὶ τὸ λεγόμενον ἰδίως πλάσμα ἱστορικὸν Ἡρόδοτος ἔχει· οὐ γὰρ μόνον οὐκ ἴσχυσε τοῦτο παρ' αὐτοῦ λαβεῖν, ἀλλὰ κἄν ποτε διεγεῖραι βουληθῇ τὴν φράσιν, ὀλίγον ἐμπνεύσας ὥσπερ ἀπόγειος αὔρα ταχέως σβέννυται ** μακρό-*

---

1) Instit. orat. X 1, 82.
2) II 6, 57.
3) Epist. ad Pomp. 4 (II 1 p. 241, 23 ss. Us.-Rad.).

τερος γὰρ γίνεται τοῦ δέοντος ἐν πολλοῖς, καὶ τοῦ πρέποντος οὐχ ὡς Ἡρόδοτος ἐφάπτεται τῶν προσώπων εὐτυχῶς, ἀλλ' ἐν πολλοῖς ὀλίγωρός ἐστιν, ἄν τις ὀρθῶς σκοπῇ. Eandem perspicuitatem sermonis atque gratiam venustatemque verborum laudat etiam Dio Chrysostomus in oratione de dicendi exercitatione composita[1]: *τά τε γὰρ διανοήματα σαφῆ καὶ ἁπλᾶ καὶ παντὶ ῥάδια φαινόμενα, τό τε εἶδος τῆς ἀπαγγελίας προσηνὲς καὶ κεχαρισμένον καὶ πειστικόν, πολλὴν μὲν ἔχον πιθανότητα, πολλὴν δὲ χάριν καὶ ἐπιβολήν, ὥστε μὴ λόγων δεινότητι μόνον, ἀλλὰ καὶ γοητείᾳ ἐοικέναι τὴν δύναμιν.*

Haec omnia iudicia imprimis leporem atque suavitatem Attici illius scriptoris laudibus efferunt, ac profecto, quicumque nonnullos tantum libros operum Xenophonteorum perlegerit, fieri non poterit, quin miretur suavem quandam simplicitatem dictionis atque iucunditatem. Quae eius ratio scribendi in his iudiciis nondum ad proprium genus sermonis relata in gravissimis artibus rhetoricis, quas Aelio Aristidi et Hermogeni Tarsensi debemus, certo atque constituto generi orationis adiudicatur, quod *ἀφελὴς λόγος* vel *ἀφέλεια* dicitur[2].

Aristides, cuius ars rhetorica conscripta est et de civili et de simplici sermone (*περὶ πολιτικοῦ λόγου, περὶ ἀφελοῦς λόγου*)[3], specimen simplicis generis dicendi ex more loquendi Xenophonteo capit passimque, ubi exemplis aliquid con-

---

[1]) Or. 18, 14.

[2]) Aristides *τεχνῶν ῥητορικῶν B* (Rhet. Graeci II 512, 6 ss.; 514, 17 ss. Spengel); Hermogenes *περὶ ἰδεῶν B* (Rhet. Graeci VI 328, 16 ss.; 404, 20 ss. Rabe).

[3]) Quid intersit inter horum sermonis generum utrumque, Guilelmus Schmid (Der Attizismus in seinen Hauptvertretern von Dionysius von Halikarnaß bis auf den zweiten Philostratus, Stuttgart 1887 ss., vol. II p. 11) exponit his verbis: «Der Begriff *λόγος πολιτικός* bei Aristides ist . . . nur verständlich im Gegensatz zu *λόγος ἀφελής* und bezeichnet die groß angelegte gesprochene oder im Stil der Mündlichkeit und in Absicht auf öffentlichen Vortrag geschriebene Rede . . . Der *λόγος ἀφελής* dagegen . . . stellt den Schreibestil für Unterhaltungs- oder Belehrungslitteratur dar». Idem vir doctissimus simplex genus dicendi sinceritatem sermonis cotidiani imitari praedicat (III p. 292): «Ein Hauptmerkmal dieses Stils, welcher die Einfalt der Alltagsrede, untermischt freilich mit allerlei überlautem Gewürz, affektiert, ist die Auflösung des Satzbaus».

firmatur, locos illius scriptoris ad imitandum proponit. Alter horum rhetorum, Hermogenes, quamquam et ipse virtutes Xenophontis in hac simplicitate positas esse censet, tamen paulum differt, quantum ad rationem tractationis attinet, ab Aristidis dispositione. Neque enim opponit inter se *λόγον πολιτικόν* et *ἀφελῆ*, sed *πολιτικόν*, cuius optimum exemplum Demosthenem esse praedicat (380, 20 ss. Rabe), et *πανηγυρικόν*, quem omnibus numeris absolutum ex Platone elucere profitetur. Tum secernit ab illo civili sermone *λόγον ἁπλῶς πολιτικόν* (395, 7 ss.), qua in specie numerat imprimis decem illos oratores Atticos, et a genere panegyrico *λόγον ἁπλῶς πανηγυρικόν*. Hoc in sermone speciem quandam, quae perfecti generis panegyrici propria sit, solam large exhiberi docet his verbis (403, 22 ss.): *πάντ' ἐκεῖνα τὰ εἴδη, ἐξ ὧν ἔφαμεν τὸν κάλλιστον πανηγυρικὸν καὶ Πλατωνικὸν γίνεσθαι λόγον, δύναται καὶ καθ' αὑτὰ ἕκαστα πλεονάσαντα ποιῆσαί τινα τύπον πανηγυρικόν· οἷον σεμνότης μόνη ἢ ἀφέλεια· πάλιν γλυκύτης, καθαρότης* . . . Huius sermonis exemplum etiam in genere dicendi Xenophonteo inveniri censet, qui auctor simplicitatem ad summum gradum duxerit atque hanc speciem ceteris omnibus praetulerit (404, 22 ss.): *ἔστι τοίνυν οὗτος ἀφελὴς μὲν ὡς ὅτι μάλιστα, καὶ τούτῳ πλεονάζων τῷ εἴδει παρὰ τὰ ἄλλα εἴδη πάντα τοῦ πανηγυρικοῦ.*

Ad hanc sermonis Xenophontei simplicitatem perspiciendam aliquid me posse conferre puto hac dissertatione, qua quaestiones nonnullas grammaticas studiis meis grammaticis adductus proferam.

Sed priusquam ad propositum ipsum veniamus, enucleare in animo habeo, quid sit illa *ἀφέλεια* qualemque rhetores illam sint interpretati. Hac in re maxime adiuvamur iis, quae Aristides pertractat altero artis libro, qui est de simplici genere dicendi (*περὶ ἀφελοῦς λόγου*)[1].

Ut praemittam, quod gravissimum est: *ἀφέλεια* quae dicitur artificiosum est genus dicendi simplicitatem simulans, non nativa quaedam dictio ornatu sermonis plane carens. Immo cultus quidam sermonis subest ille quidem,

---

[1]) Cf. etiam W. Schmid, Die sogenannte Aristidesrhetorik, Rh. Mus. 72, 1917/18, p. 113 ss., imprimis p. 134 ss.

sed cernitur hic candor in eo, quod artificialis nota orationis quam fieri potest minime conspicitur. Quo cum genere dicendi cohaeret perspicuitas quaedam, quae ex hac simplicitate dictionis efficitur.

Haec etsi tam expresse ab Aristide non dicuntur, tamen nonnumquam ex verbis eius elucent, velut (539, 8 ss. Sp.): *καὶ Ξενοφῶν ἕκαστα τῶν νοημάτων ψιλὰ κατ' ἰδίαν τίθησιν, ὡς ἐν τῷ Ἀγησιλάῳ, αὐτὰ καθ' αὑτά, ὅθεν ἄν τις καὶ ἐρρῖφθαι νομίσειε τὰ νοήματα, οὐ μὴν ἔρριπταί γε, ἀλλ' ἔστι μὲν ἕκαστα ἐν ἐπιμελείᾳ προηγμένα*[1], *ἀφῃρημένα δὲ τῆς κατὰ λεπτὸν ἐξετάσεως καὶ προσθήκης καὶ μεταθέσεως καὶ ἐναλλαγῶν καὶ πάντων τῶν τοιούτων, καὶ ἁπλῶς τὰ τοιαῦτα φαίνεται.* Xenophon igitur cogitationes nudas exprimit, ut quis proiectas eas esse possit iudicare; at hae quasi proiectae non re vera proiectae (id quod fieri solet apud scriptorem litteris non satis imbutum), sed diligenter formatae apparent, etsi a nimio ornatu sunt remotae. Haec, quae de cogitationibus solum dicta sunt, sine dubio iure optimo in verba quoque singula verborumque comprehensiones transferre licebit.

Etiam ab alia parte hoc studium artis obtegendae optime ut videtur explicari potest. Aristides enim, ubi de cogitationum tractatione verba facit (516, 17 ss. Sp.), praecipit, ne in iis, quae ad praeparandam propositionem quae dicitur idonea sunt, statim appareat, quem ad finem praeponantur; postquam exposuit cogitationes ad tractationem idoneas, pergit: *καὶ ἔτι τὸ μὴ ὡς εἰς πρότασιν λέγεσθαι τὰ λεγόμενα κατασκευαστικὰ τοῦ προκειμένου, ἀλλ' ἀδήλου ὄντος πρὸς ἃ λέγεται, οὕτω προχωρεῖν τὸν λόγον, οἷον μὴ προθεὶς ὅτι βούλεται ἀποδεῖξαι πολλοῦ ἄξιον Κῦρον ἐπάγει «ἔννοιά ποθ' ἡμῖν ἐγένετο»* (Xen. Cyr. I 1, 1), *καὶ προλαβὼν πάντα τὰ προκατασκευαστικά, ἐξ ὧν χαλεπόν ἐστιν ἀνθρώπων ἄρχειν, χαλεπώτερον τῶνδε καὶ τῶνδε, οὕτως ἐπήγαγεν, ἀλλὰ μὴν Κῦρος πλείστων ἀνθρώπων ἦρξε· Κῦρος ἄρα πολλοῦ ἄξιος ἐγένετο.*

---

[1]) Diligentiam quandam ad hoc dicendi genus collatam esse testatur etiam Hermogenes, qui Xenophontem in capite *περὶ τοῦ ἁπλῶς πανηγυρικοῦ* (scil. *λόγου*) primo loco afferens illius dictioni ut simplici sermoni multum artis his verbis adscribit (405, 17 s. Rabe): *ἐπιμελείᾳ δὲ ὡς ἐν ἀφελεῖ τε καὶ ἀπλάστῳ λόγῳ χρῆται πολλῇ.*

καὶ αὕτη ἐστὶν ἀφελοῦς λόγου μεταχείρισις, ὅταν μὴ φανερὸν ᾖ ὡς πρότασις τὸ λεγόμενον. Hoc cum praecepto liceat aliud coniungere et ipsum ad tractationem pertinens; enumerat his verbis Aristides, quid intersit inter tractationem civilis atque simplicis sermonis (513, 10 ss. Sp.): ἐν μὲν τῷ πολιτικῷ λόγῳ δεῖ φανερὰς εἶναι (scil. τὰς μεταχειρίσεις)· οὕτω γὰρ πολιτικῶς προάγοιτο ὁ λόγος, εἰ παρακολουθοῖεν οἱ ἀκούοντες τοῖς ζητήμασιν, ἐν δὲ τῷ ἀφελεῖ οὐ τοῦτό ἐστιν, ἀλλὰ κεκρυμμέναι ἐνίοτε εἰσὶν αἱ ζητήσεις, καὶ οὐδὲ οἶδέ τις τί βούλεται λέγειν ὁ λέγων διὰ τὸ μηδεμιᾷ ἐπιβολῇ ἐοικέναι τὸν λόγον[1]).

Porro quod ad ethologiam quae dicitur attinet, eadem ars observatur; consulto enim id agit Xenophon, ne adhibitum studium conspiciatur, id quod Aristides hoc exemplo confirmat (528, 11 ss. Sp.): ἦθος ἄλλο πάλιν ἀφανὲς καὶ κεκρυμμένον, ὥσπερ ἐν τοῖς ἀφελέσι λόγοις προσήκει, «ἀναβαίνει οὖν ὁ Κῦρος λαβὼν Τισσαφέρνην ὡς φίλον» (Xen. Anab. I 1, 2). τί γὰρ δεῖ ἐξαγορεύειν καὶ λέγειν, λαβὼν Τισσαφέρνην τὸν μάλιστα ἐπιβουλεύοντ' αὐτῷ ὡς φίλον; τὸ δὲ ἀποκρυψάμενον ἐφ' ἑαυτοῦ ἐᾶσαι τοῦτο ἔχει τὸ ἦθος.

Quae cum ita sint, illius simplicitatis vis agnoscitur ex arte sine dubio usurpata illa quidem, sed quantum fieri potuit operta; id enim ipsum est summae artis artem adhibitam non conspici.

Itaque etiamsi huic generi dicendi artis quendam modum tribuamus necesse sit, tamen cavendum nobis est, ne nimiam diligentiam neve argutias exspectemus, quae turgidam reddant orationem. Hanc inanem affectationem abhorrere a simplici sermone idem Aristides demonstrat hoc loco (513, 26 ss. Sp.): ἐν δὲ τῷ ἀφελεῖ . . . δοκεῖ ἡ λέξις ὡς ἂν τύχῃ προάγεσθαι [ἀλλ'] ὑπτίαν ἐμφαίνουσα καὶ μηδεμίαν ἐπιτήδευσιν τῆς λέξεως[2]). Sermo igitur fortuito produci

---

[1]) Cf. W. Schmid, Rh. Mus. 72, 1917/18, p. 135: «513, 7—15 wird ein neuer Gesichtspunkt, die μεταχείρισις (beim πολ. offen, beim ἀφελής verdeckt) eingeschaltet».

[2]) Simillimus est locus 533, 27 ss. Sp.: ὥσπερ δὲ ὁ πολιτικὸς συνειλκυσμένος ἐστὶ καὶ συνειληφὼς τὰ νοήματα, οὕτως ὁ ἀφελὴς ὕπτιος καὶ ἀποτεταμένος. Oratio igitur civilis astricta est et contenta,

videtur remissus solutusque atque expers omnis affectationis. His Aristidis verbis non repugnant, quae Dionysius Halicarnaseus tradit de verborum compositione apud scriptores veteres, qui ante Thucydidem fuerunt, obvia (de Thuc. 23 p. 359, 25 ss. Us.-Rad.): *σύνθεσίν τε ὀνομάτων ὁμοίαν ἅπαντες ἐπετήδευσαν τὴν ἀφελῆ καὶ ἀνεπιτήδευτον.* Vocabula *ἐπετήδευσαν τὴν ἀφελῆ καὶ ἀνεπιτήδευτον* ita accipi volo, ut haec verborum compositio dedita opera quaesita esse dissimuletur neque omnino consilium subesse appareat, quamquam studii aliquid atque voluntatis certe adhiberi potest et re vera adhibetur[1]). Quae

---

simplex autem dictio soluta et remissa. Eandem rem spectant, quae de figuris dicuntur (513, 16 ss. Sp.): *τὰ δὲ σχήματα ἐν μὲν τῷ πολιτικῷ λόγῳ τραχέα ἐστί, σφοδρά, ἐλεγκτικά, βίαια, ἐν δὲ τῷ ἀφελεῖ ἀνειμένα, ἁπλᾶ, μηδένα ἔλεγχον μηδὲ ἐξέτασίν τινα ἐμφαίνοντα, ἀλλὰ κοινότερα καὶ ἀναπεπτωκότα· οὕτω γὰρ ἐκεῖνα ποιεῖ σύντονον τὸν λόγον καὶ πολιτικόν, ταῦτα δὲ ἀφελῆ, ὡς ἂν ἰδιωτικὰ καὶ ὁμιλητικὰ ὄντα,* ubi *πολιτικὸν λόγον* idem valere consentaneum est quod *σύντονον* et *ἀφελῆ λόγον* praebere *σχήματα ἀνειμένα* exponitur [cf. quae Dionysius (de Demosth. 2 p. 131, 4 s. Us.-Rad.) dicit de sermone Thucydidis atque Lysiae: *καὶ ἡ μὲν* (Thucydidis dictio) *συστρέψαι καὶ συντεῖναι τὸν νοῦν, ἡ δὲ ἀνεῖναι καὶ μαλάξαι* (scil. *δύναται*)].

Notiones *σύντονος* et *ἀνειμένος*, quibus apud Romanos respondent vocabula «contentus» et «remissus» (vel «astrictus» et «solutus», cf. Cic. de or. III 44, 175; Brut. 79, 274), in orationis genera translatae inveniuntur in Romani sophistae libello, qui inscribitur *περὶ ἀνειμένου κανόνες* (ed. Walter Camphausen, Lipsiae, Teubn. 1922): *ὥσπερ οὖν ὁ σύντονος εἰκῇ φερόμενος ὑπὸ τῆς φύσεως ἔστη, παρὰ τῆς τέχνης τάξιν λαβών, οὕτω καὶ ὁ ἀνειμένος ἐχέτω κανόνα καὶ μὴ βάσιμος ἔστω πᾶσι πλανωμένοις* (p. 1, 8 ss. Camph.). Iam ante Romanum, quem intra quartum et septimum saeculum hunc libellum conscripsisse colligit Camphausenus l. c. in praef. p. XXII, apud Menandrum rhetorem illae notiones in eum locum invaserunt, «quem apud Ps.-Aristidem et Hermogenem vocabula *πολιτικός* et *ἀφελής* obtinuerunt» (Camph. p. XXI).

Nobis Romani libellus ideo videtur respiciendus esse, quod remissum illud genus studio simplicitatis effici iudicat (p. 1, 17 s.: *δεῖ τὸν βουλόμενον ἀνειμένῳ χαρακτῆρι πλησιάζειν τὸ μὲν τραχὺ δραπετεύειν, τὸ δὲ ἀφελὲς ἐξασκεῖν*) atque locutiones puras et simplices commendat (p. 5, 13 ss.: *λέξεσι δὲ δεῖ χρῆσθαι οὐ πάσαις . . . ἀλλὰ τὰς καθαρὰς καὶ ἀφελεῖς διωκτέον*).

[1]) Eandem vim habere iudico adiectivum *ἀκατάσκευος* (Dionys. Hal. de Thuc. 27 p. 371, 20 Us.-Rad.).

cum ita sint, huius generis dicendi effectus optime comparatur cum vi, quam habet oratio iudicialis. Ut enim is, qui simplici dictioni indulget, eos, qui legunt, artem adhibitam celat, ita oratori iudices in iudicio fallendi sunt, cum ornatus orationis obscuratur. Quod Cicero adumbrat (de or. II 41, 177) exponens tractationem debere variam esse, «ne aut cognoscat artem qui audiat aut defetigetur similitudinis satietate» [1]).

Ad hanc de qua egimus Aristidis artem accedit quasi adminiculum Dionysii Halicarnasei libellus de Lysia compositus. Notum enim est ab antiquis scriptoribus Lysiam praestantissimum exemplar tenuis vel simplicis generis dicendi, quod Graece appellatur *ἰσχνόν*, semper praedicari [2]). Ne longus esse videar in exponenda hac proprietate, Lysiae elocutio sine arte elaborata videtur esse illa quidem, sed re vera aliquantum artis ad eius orationes esse collatum, quamquam ipsa in specie artis evitatae summa posita sit ars, profitetur Dionysius, cum ita iudicat [3]): *δοκεῖ μὲν γὰρ ἀποίητός τις εἶναι καὶ ἀτεχνίτευτος ὁ τῆς ἁρμονίας αὐτοῦ χαρακτὴρ . . . ἔστι δὲ παντὸς μᾶλλον ἔργου τεχνικοῦ κατεσκευασμένος. πεποίηται γὰρ αὐτῷ τοῦτο τὸ ἀποίητον καὶ δέδεται τὸ λελυμένον καὶ ἐν αὐτῷ τῷ μὴ δοκεῖν δεινῶς κατεσκευάσθαι τὸ δεινὸν ἔχει* [4]).

---

[1]) Atque illud quoque Ciceronis quodammodo huc pertinet (or. 42, 145): «At ius profitentur etiam qui nesciunt; eloquentiam autem illi ipsi qui consecuti sunt, tamen ea se valere dissimulant».

[2]) Cf. ex. gr. Cic. de or. III 7, 28: «subtilitatem Lysias . . . habuit»; Brut. 16, 64: «. . . tenuitas ipsa (scil. Lysiae) delectat . . .»; Dionys. de Lys. 8 p. 15, 21 s. Us.-R.: «*καὶ συντίθησί γε αὐτὴν* (scil. *τὴν λέξιν*) *ἀφελῶς πάνυ καὶ ἁπλῶς*». Cf. ibidem 6 p. 14, 12 ss.; 24 p. 35, 25 s.; de Isocr. 2 p. 57, 3 ss.; de Demosth. 2 p. 130, 6 (verba *ἡ δὲ ἑτέρα λέξις ἡ λιτὴ καὶ ἀφελὴς* . . . ad Lysiae dictionem pertinent). Cf. etiam Ed. Norden, Die antike Kunstprosa, vol. I[3] 1915, p. 120: «Lysias erinnert . . . in seiner ganzen Art . . . an Xenophon».

[3]) De Lys. 8 p. 16, 3 ss. Us.-Rad.

[4]) Operae pretium est proferre, quae iudicat Guilelmus Schmid (Christ-Schmid, Gesch. d. griech. Lit. I[6] 1912, p. 558); qui, postquam Lysiae orationem pressam atque propositum semper spectantem laudavit, pergit: «bei allem diesem setzt er eine besondere Kunst darein, die Kunst, die er auf Denken und Formen wendet, so zu verbergen, daß alles sich wie selbstverständlich ausnimmt». Adde iudicium, quod fert Fridericus Blass, Die attische Beredsamkeit, vol. I 1868, p. 386:

Hoc studium apertissime atque simul brevissime expressum invenio apud Ioannem Siceliotam[1]), qui Hermogenem interpretatus est, his verbis: *τῆς ἐν μεθόδῳ δεινότητος Λυσίας ἐπετήδευσε τὴν οὖσαν μὲν δηλονότι μὴ φαινομένην δέ*[2]).

Haec etsi pauca tamen gravissima de illa simplicitate, quae ab antiquis auctoribus intellegitur, attulisse satis habeo.

2. Quid nos de voce simplicitatis et omnino de Xenophontis sermone sentiamus exponitur.

Simplicitate Xenophontea testimoniis antiquorum scriptorum exposita nunc quaeramus, quid nos de illa voce et omnino de Xenophontis sermone existimemus qualemque eum ex nostra Xenophonteorum operum cognitione possimus interpretari.

Recte si volumus iudicare, imprimis ad unam rem singularem animum attendere debemus, quae continetur studiis Xenophontis rhetoricis, quibus ut homo ineuntis quarti saeculi indulsit[3]). Hic mos eo magis nobis notabilis est, quo minus comprobare nos totam hanc artem rhetoricam confiteamur necesse est; multum enim absumus, atque maxime nos Germani, ab illa ratione oratorum et rhetorum, qui summam artem non effici nisi arte

---

«Lysias' Composition ... erscheint ... für den ersten Anblick völlig kunstlos und zufällig; aber was scheinbar frei gefügt ist, hat in Wirklichkeit doch sein Gesetz, und gerade die scheinbare Kunstlosigkeit ist das Produkt der höchsten Kunst».

[1]) Rhet. Graeci VI p. 474, 22 s. Walz.

[2]) Cf. etiam C. M. Francken, Commentationes Lysiacae, Traiecti ad Rhenum 1865 p. 1: «in ipso artis qui videtur neglectu artem orator maximam habet». Illud quoque observatione dignum est, quod Dionysius (de Demosth. 2 [p. 131, 8 s. Us.-Rad.]) de rerum tractatione in medium profert: «*τὸ δ' ἀπατῆσαι καὶ κλέψαι τὰ πράγματα τῆς Λυσίου* (scil. *λέξεως ἴδιόν ἐστιν*)». Cf. etiam iudicium, quod fert Theodorus Gomperz (Griech. Denker II³ 1912, p. 98) de Xenophontis arte in Anabasi adhibita: «Es gibt eine Kunst der Täuschung, die falsche Eindrücke hervorruft, ohne viel falsche Tatsachen zu melden. Diese Kunst übt Xenophon als Meister».

[3]) In hanc rem inquisivit accurate Hans Schacht dissertatione, cui inscripsit «De Xenophontis studiis rhetoricis» Berolini 1890, atque demonstravit (p. 56) «Xenophontem a studiis rhetoricis non fuisse alienum stilumque eius ostendere frequentia et indubitata rhetoricae artis vestigia».

rhetorica censebant[1]. Quam etiam Xenophontem amplexum esse permulta exempla nos docent; sed etsi studium quoddam coloris rhetorici scriptis afferendi orationisque artificialiter illustrandae iterum et saepius Xenophontis operibus propriam quandam speciem praebet, tamen non in omnibus scriptis pariter invenitur, certe non ubique eodem modo occurrit, quo apparet in operibus aut partibus operum, quae ad ipsam artem rhetoricam tendunt eamque secundum leges generis dicendi postulant, dico Agesilaum, Hieronem, imagines Cyri et ducum Graecorum Anabasi interpositas (Anab. I 9; II 6). In hoc genere operum Xenophontem legibus rhetoricis indulgere facile exemplis probatur, indulget vero ita, ut species plane rhetorica his scriptis concilietur. In ceteris autem operibus etsi magis minusve, prout res ferebat, velut in afferendis membris inter se oppositis atque in aliis rebus ad orationem amplificandam idoneis, scriptor hanc manifestam artem rhetoricam sequitur, tamen exemplum praebet simplicis, si summatim iudicamus, generis dicendi.

Hanc Xenophontis simplicitatem, ut recte nec occupata mente existimemus, duplicem in modum possumus interpretari: potest esse nativa, non artificiosa, sincera, nullo consilio neque ulla ratione petita, e contrario: dedita opera quaesita, artificialiter elaborata, consulto affectata, adhibita tamquam insignis orationis ornatus. Alterum profitetur, ut exemplo utar[2], Fridericus Blass[3], cum haec facit verba:

---

[1]) Quid intersit inter antiquam et nostram dicendi rationem, optime exponit Eduardus Norden (Die antike Kunstprosa, vol. I³ 1915, p. 8, imprimis p 9: «Der heutige Prediger, Advokat, Parlamentarier will nur durch sachliche Gründe überzeugen, wie weit der Zuhörer dabei Vergnügen empfindet, ist ihm entweder ganz gleichgültig oder nebensächlich; dagegen spekulierte der antike Redner neben den sachlichen Argumenten auf die Leidenschaftlichkeit und den Schönheitssinn seines Publikums; jener kam er entgegen durch Erregung der Affekte . . ., diesem durch kunstvolle, oft an Raffinement grenzende Darstellung, denn der antike Zuhörer verlangte nicht bloß im Theater, sondern auch auf dem Forum delectatio; in den verschiedenen Gattungen der Rede war die Frage also nicht, ob, sondern wieviel delectatio zulässig sei».

[2]) Cf. etiam iudicia, quae infra (B I) exstant.

[3]) Die attische Beredsamkeit II² 1892, p. 475 ss.

«Er (Xenophon) ist ein Naturredner und kein Kunstredner (p. 479)[1])».

Contra Udalricus de Wilamowitz Xenophonti simplicitatem sermonis de industria petitam adscribit, cum hoc iudicium fert[2]): «Xenophon hatte auch an der Rhetorik gekostet und gewöhnte sich einen gewollt naiven Stil an, der nicht selten ins Kindische fällt».

Medius inter has sententias Eduardus Norden stat («Die antike Kunstprosa»)[3]); contendit enim e scriptis Xenophonteis naturalem quandam simplicitatem apparere, quam tamen comitetur usus artis rhetoricae graviter ac consulto usurpatae; sunt haec verba viri doctissimi: «Bei Xenophon ist die natürliche Schlichtheit sowohl des einzelnen Ausdrucks wie des Satzbaus stark und absichtlich (beides leugnet Blass) beeinflußt durch Anwendung aller Mittel der zeitgenössischen Rhetorik, und nur darin unterscheidet er sich sehr zu seinem Vorteil von manchen gleichzeitigen Schriftstellern, daß er mit seinem gesunden Gefühl für das Einfache und Schlichte die Natur nicht durch die Kunst verdrängt, sondern beide zu einem harmonischen Ganzen verbunden hat».

Quaestio igitur exsistit, utram harum sententiarum sequamur. Etsi non semper certe diiudicare possumus, nativane sit sermonis species, quam perscrutamur, an illam consulto quaesitam esse pronuntiemus, tamen Udalrico de Wilamowitz assentiri malumus, praesertim cum species simplicis sermonis atque de industria petiti, quem ille dicit, optime congruat cum simplicitate, quam a rhetoribus supra laudatis Xenophonti tribui enucleavimus; interpretari enim illos simplicitatem artem quandam consulto usurpatam quidem, sed, quantum fieri potest, dissimulatam paulo supra vidimus[4]). Sed, id quod mihi maxime notabile videtur

---

[1]) Cf. Gustavus Eichler «De Cyrupaediae capite extremo (VIII 8)» (diss. Lips. [Grimmae] 1880) p. 18: «agnoscitur fere semper in legendis Xenophontis libris sententiarum perspicuitas, quae efficitur verborum inaffectata simplicitate et structura».

[2]) Die griech. Lit. d. Altertums (Kultur der Gegenwart, Teil 1, Abt. 8, 1907[2], p. 82).

[3]) Vol. I[3] 1915, p. 101.

[4]) p. 5.

esse quodque in iudiciis de Xenophontis sermone latis parum esse respectum inveni, ad hanc simplicitatem hoc adiciamus necesse est, quod Xenophon specimen sermonis popularis atque cotidiani exhibet[1]), quem longe simplicissimum esse maximeque naturali mori loquendi convenire etiam nos e nostra communi consuetudine sermonis discere possumus. Quamquam haec popularis sermonis species a rhetoribus expresse non confirmatur, tamen cum illorum simplicitate non sine aliqua causa coniungere eam licet; nam si singula exempla dictionis a me hac dissertatione pertractata perscrutati erimus, plurima referri posse concedemus ad naturalem quendam sermonem imitandum, quo in imitando propter ipsam simplicitatem orationis ars quaedam quam fieri potest minime conspicitur. Proinde adhibeamus illam rhetorum vocem ad Xenophontis simplicitatem significandam, dummodo ne obliviscamur vim sermonis popularis atque cotidiani imitandi a nobis illi vocabulo (dico *ἀφέλειαν* quae nominatur) admisceri.

---

[1]) Godofredus Bernhardy (Wissenschaftl. Syntax der griechischen Sprache, Berlin 1829, p. 463) Xenophontem varias constructionis mutationes admisisse pronuntiat «in einer Annäherung an die Ungezwungenheit des gewöhnlichen Tones und nicht ohne dessen Nachlässigkeit» [cf. etiam W. Schmid (Attizismus III p. 292), quem supra p. 2, 3 laudavi].

TRACTATIO.

His praemissis, quae iam et antiqui auctores et viri doctissimi recentioris aetatis de genere dicendi Xenophonteo iudicaverunt, nunc proferamus nonnullas quaestiones selectas, quae ad Xenophontis elocutionem pertinent.

Primum de anacoluthis Xenophonteis disseram atque id ita, ut etiam idiomata eiusmodi huc referam, quae nisi ex anacoluthiae notione latius patente explicari non possint. Ex his anacoluthiae variis generibus simplicitatem popularis usus loquendi apparere puto me probaturum esse.

Deinde e verborum ubertate vel abundantia, quam «repetitionem» dico, eandem simplicitatem sermonis cotidiani demonstrabo.

Tum opera omnia Xenophontea sive tota sive pro rata tantum parte ad calculos vocata conferam aliud cum alio, quantum ad artem rhetoricam attinet, quae apparet ex contrapositorum frequentatione, atque quid inde colligendum sit exponam.

Has quaestiones grammaticas etiam textui Xenophonteo restituendo utilitati futuras esse spero, cum accurata observatione moris loquendi loci quidam a viris doctis temere temptati defendi possint ab illorum iniuriis.

Simul hac dissertatione non nihil me posse conferre arbitror cum ad Arriani elocutionem melius perspiciendam, quem dictionem Xenophonteam imitatum esse constat[1]) — hunc, ubicumque fieri poterit, in singulis capitibus respiciam —, tum ad sermonem popularem intellegendum, quem ex epistulis privatis in

---

[1]) Cf. ex. gr. Photius bibl. cod. 58 (p. 17 B): *ἰσχνὸς τὴν φράσιν ἐστὶ καὶ μιμητὴς ὡς ἀληθῶς Ξενοφῶντος* (cf. etiam infra p. 40, ubi de hac re uberius agetur).

papyris exstantibus exponam; etenim reliquiae papyraceae, quae quidem epistulas privatas contineant, cum magna ex parte mediam in populi vitam nos introducant, optime sermonem cotidianum nos docent.

A. De anacoluthis Xenophonteis.

I. Universe agitur de anacoluthiae definitione, causa, explicatione.

Priusquam anacolutha Xenophontea tractanda suscipiamus, paucis exponendum atque definiendum est, quid sit anacoluthia, quae dicitur.

Exhibet hoc idioma sermonis enuntiationis compositionem eiusmodi, ut constructio non eo modo, quo ex initio exspectamus, ad finem perducatur, sed in aliam structuram mutetur, quae, si ex grammatica iudicatur, illi non conveniat, quod autem ad sententiam attinet, non abhorreat ab initio [1]).

Plurimis huiusmodi mutationibus subest aliqua causa psychologica quam dicimus: persaepe scriptores explicandi causa contextui sermonis unum vel compluria enuntiata sive interclusiones, quas Graece *παρενθέσεις* vocamus, interponunt, post quas anacoluthiam admittunt [2]). His interclusionibus continuatio sermonis interrumpitur, sed ipsa anacoluthia adhibita perspicuitas atque simplicitas, quin etiam vis sermonis aliquanto augetur [3]).

---

[1]) Cf. Kühner-Gerth, Ausführliche Grammatik der griechischen Sprache, II³ 2 (Hannover und Leipzig 1904), § 602, p. 588; Kühner-Stegmann, Ausführliche Grammatik der lateinischen Sprache, II² 2 (Hannover 1914), § 244, p. 584; Aug. Matthiae, Ausführliche griech. Gramm., Leipzig 1807, § 610, p. 900.

[2]) Hac re vel maxime anacoluthiam effici omnes fere, qui exposuerunt, quid anacoluthia esse sibi videretur, quamvis alioqui inter se dissentiant (cf. infra p. 15 s.), concedunt; cf. Aug. Matthiae, l. c., § 611, p. 901 s.; idem, Griech. Gramm. zum Schulgebrauch², Leipzig 1824, §§ 631—632, p. 603 ss.; Bernhardy, Wissenschaftl. Syntax der griech. Spr., Berlin 1829, p. 463; Kühner-Gerth II³ 2, § 602, p. 588; Kühner-Stegmann II² 2, § 244, 4, p. 587.

[3]) Cf. Kühner-Stegmann II² 2, § 244, 2, p. 585; A. Scheindler, Methodik des Unterrichts in der griechischen Sprache, Wien 1915, p. 346: «Im ganzen wird . . . die Konzinnität der Sprache der Lebhaftigkeit und Natürlichkeit zuliebe zum Opfer gebracht».

Atque etiam hoc deducit scriptores de structura instituta, quod inter scribendum, cum rem quandam exprimant atque effingant ita, ut illa quam luculentissime describatur, cogitationis aliam quidem formam atque primo posuerunt, sed prioris formae consimilem mente comprehendunt. Ita constructionis incohatae obliti sententiam tantum, non formam orationis memoria retinent.

Quomodo si anacoluthiam explicamus, sequimur rationem psychologicam, quam nuper Luisa Reinhard[1]) in Platonis anacoluthis explanandis adhibuit atque interpretata est his verbis (p. 2): «Die psychologische Betrachtung erklärt ... das sprachliche Bild als Reflex des Vorstellungsverlaufes, der in dem Redenden vor sich geht»; (p. 187): «Der Vorstellungsverlauf selbst findet in der Weise statt, daß immer die jeweils stärkere sinnliche Vorstellung in den Vordergrund des Bewußtseins tritt, gleichviel an welchem Punkte des Gedankenganges sie aufsteigt»; (ibidem paulo infra): «Für das sprachliche Bild ist es von besonderer Wichtigkeit, daß eine solche sinnliche Vorstellung, auch wenn sie von geringer Stärke ist und nur momentan das Bewußtsein erfüllt, dennoch eine solche Intensität zu haben pflegt, daß sie sich auch in der Sprache zum Ausdruck bringt» [2]). Effluxerint sane nonnulla in commentatione Reinhardiana ex ingenio inflammato sublimitate ac pulchritudine Platonici generis dicendi, tamen in universum aestimanti dissertatio illa plena optimarum explicationum videbitur esse.

Sed quae ad Platonis anacolutha enucleanda pertinent, non temere de Xenophontis exemplis dicere licet. Nam quemadmodum aliae dissimilitudines neque minimae intercedunt inter utrumque scriptorem, ita etiam est, quod differat inter utriusque anacolutha. Platonem enim cum variis anacoluthiae generibus variam cogitationum speciem quamquam nescium coniungere Luisae Reinhard libenter concedimus[3]); ex Xenophontis autem anaco-

---

[1]) Luise Reinhard, Die Anakoluthe bei Platon, Philolog. Untersuchungen, Heft 25, Berlin 1920.

[2]) Cf. etiam A. Scheindler, l. c. p. 345: «Bei den Anakoluthen darf man sich ... nicht mit der an sich wertlosen Feststellung ihres Vorhandenseins begnügen, sondern muß dieses, wo es angeht, psychologisch begründen».

[3]) Cf. exempli causa l. c. p. 89, ubi disputat de mutatione casus participialis, quam significare pronuntiat «die verschiedene Intensität

luthis non tam cogitationum varietatem quandam, quo verbo interpretari liceat notionem Reinhardianam «Nuancierung», quam simplicitatem atque perspicuitatem sermonis cotidiani elucere nobis persuasimus.

Ac profecto plurimae constructionis perturbationes apud Xenophontem obviae ex consuetudine populariter loquendi bene explicantur[1]), ut ad interpretationem subtilem, quam adhibuit Luisa Reinhard in singulis generibus explanandis, recurrere non debeamus; sed quantum fieri poterit quantumque natura singulorum exemplorum secum feret, illam quoque rationem sequemur.

His praemissis quaeritur, quaenam idiomata sermonis huc sint referenda. Quam quaestionem proponendam esse vel inde cognoscitur, quod, si inspexeris vel libros grammaticos vel commentationes de anacoluthis conscriptas, illic non congruenter eandem speciem loquendi in anacoluthia duci videbis. Liceat mihi huius rei exempla afferre, quae testimonio sint, quantopere sententiae de anacoluthia prolatae tendant in diversum.

Franciscus Richter[2]) anacoluthiam subesse negat, «ubi oratio, id quod saepissime fit, concinnitate neglecta ex participio in verbum finitum transit, aut ubi duo vel plura enuntiationis membra diverso quidem modo, nec tamen contra grammaticae logicaeve leges praecedentibus annectuntur». At Luisa Reinhard prius illud idioma, quod statuit Richterus, anacoluthiae adnumerat[3]) atque etiam alteram speciem, quam anacoluthiam esse Richterus

---

der Sache selbst in feiner Nuancierung»; p. 96 ex eadem mutatione apparere dicit «eine dem Redenden oder vielmehr Platon unbewußte Nuancierung»; p. 97 eandem rem spectans haec facit verba: «Der Kasuswechsel muß ... für das Gedankenganze eine besondere Möglichkeit der Nuancierung bedeuten»; cf. etiam anacolutha p. 65—88 excussa.

[1]) Cf. Bernhardy, l. c. p. 463 (supra p. 11, 1). — Anacoluthiam maxime in sermone cotidiano exhiberi cognoscitur, ut exemplo utar, cum ex Plauti elocutione tum ex Ciceronis dialogis, ubi simplicem ille dictionem imitatur (cf. Kühner-Stegmann II² 2, p. 585).

[2]) De praecipuis Graecae linguae anacoluthis specimen primum, Mylusae 1827, p. 3.

[3]) l. c. p. 77 s.; cf. imprimis p. 78, 1 (Xen. Mem. II 1, 30: *ἵνα μὲν ἡδέως φάγῃς, ὀψοποιίας μηχανωμένη, ἵνα δὲ ἡδέως πίῃς, οἴνους τε πολυτελεῖς παρασκευάζει καὶ τοῦ κτλ.*).

negat, in commentatione de Platonis anacoluthis conscripta pertractat[1]).

Aliam multoque graviorem discrepantiam cognosces, si contuleris sententiam, quam protulit de anacoluthia Godofredus Bernhardy[2]), cum sententia Francisci Richter[3]). Nam ille aliquid rationis esse censet inter anacoluthiam et attractionem atque id ita, ut anacoluthia utatur attractione ad notiones secundarias et primarias inter se conectendas[4]); huic notiones anacoluthiae atque attractionis plane separandae videntur esse[5]). Haec eius sententia discrepat etiam a Luisa Reinhard[6]), quae in anacoluthia numerat locos, ubi attractionem, non anacoluthiam subesse Richterus statuit[7]).

Atque etiam hoc exemplo quam non congruant inter se sententiae de anacoluthiae notione prolatae demonstratur: constructio ad sensum, quae dicitur, a Luisa Reinhard digna esse iudicatur, quam copiose atque subtiliter, concedo, pertractet[8]), quamquam vulgo in anacoluthiae numero non habetur[9]).

Anacoluthiae igitur vis et restringitur et patet paulo latius. Quaerenti autem mihi multumque cogitanti, quem ad finem progrediendum esset, etiam idiomata eiusmodi recipienda esse hac commentatione videbantur, quae nisi ex anacoluthiae notione,

---

1) l. c. p. 126 s.; imprimis p. 127, 1; cf. exempli causa Xen. Hell. IV 3, 1: . . . *ἀγγέλλει Δερκυλίδας ὅτι νικῷέν τε αὖ Λακεδαιμόνιοι, καὶ αὐτῶν μὲν τεθνάναι ὀκτώ, τῶν δὲ πολεμίων παμπληθεῖς,* quo loco nihil anacoluthiae suspicandum esse ait Richterus, l. c. p. 3.

2) l. c. p. 463.

3) l. c. p. 2.

4) l c. p. 463: «Wie . . . die Synchysis, die künstliche Wortsperrung, . . . das Hyperbaton anwendet, so bedient sich das Anakoluthon, die planmäßige Abweichung von der grammatischen Ordnung, um eine periodische Verkettung von Wesentlichem und Unwesentlichem zu einem Guß zu bilden, der Attraktion, welche Nebenbegriffe in den Hauptbegriff unmerklich verschlingt».

5) l. c. p. 2.

6) l. c. p. 13 ss.

7) l. c. p. 2; cf. Soph. Antig. 736 (Erfurdt-Hermann): *ὅδ' ὡς ἔοικε τῇ γυναικὶ συμμαχεῖν.*

8) l. c. p. 132 ss.

9) Cf. exempli causa Kühner-Gerth II³ 1, § 359, p. 53; Kühner-Stegmann II² 1, § 9, p. 21 ss.; II² 2, § 244, 2, 1, p. 586.

quae latius patet, explicari non possint. Itaque quod haec quoque perscrutabor, quibus modis sermonis ordo turbetur, cum, ut exemplis utar, transitus fit aut e verbo infinito ad finitum verbum (cf. p. 29 ss.; Kühner-Gerth II³ 2, § 490, p. 100) aut ex oratione obliqua ad rectam orationem (cf. p. 42 ss.; Kühner-Gerth II³ 2, § 595, p. 556 s.) aut ex enuntiato relativo ad sententiam liberam (cf. p. 45 ss.; Kühner-Gerth II³ 2, § 561, p. 432) et cum enuntiatio, quae ad liberam structuram redigi debuit, constructionis forma dependente profertur (cf. A II 4; Kühner-Gerth II³ 2, § 602, 7, p. 591), anacoluthiae notionem non eo modo, quo proprie dicitur, adhibebo (cf. Kühner-Stegmann II² 2, § 244, p. 586).

II. Proprie dicitur de anacoluthiae generibus.

1. De anacoluthia, quae efficitur longiore periodo a Xenophonte condita.

a) Sententia primaria imperfecta relicta post enuntiationem interpositam mutata forma denuo incipit.

In Xenophontis operibus iterum ac saepius occurrit, ut scriptor longiore verborum structura instituta varias exhibeat anacoluthiae species. Velut in sententia primaria, quam longa interdum enuntiationum series sequitur, Xenophon constructionem, qua initio totius ambitus usus est, non ad finem perducit, sed imperfectam relinquit et post enuntiationem interpositam denuo incipit.

Hoc discimus ex Hell. VI 4, 2: *Λακεδαιμόνιοι μέντοι ἐκ μὲν τῶν ἄλλων πόλεων τούς τε ἁρμοστὰς καὶ τοὺς φρουροὺς ἀπήγαγον, Κλεόμβροτον δὲ ἔχοντα τὸ ἐν Φωκεῦσι στράτευμα καὶ ἐπερωτῶντα τὰ οἴκοι τέλη τί χρὴ ποιεῖν, Προθόου λέξαντος ὅτι αὐτῷ δοκοίη διαλύσαντας τὸ στράτευμα κατὰ τοὺς ὅρκους καὶ περιαγγείλαντας ταῖς πόλεσι συμβαλέσθαι εἰς τὸν ναὸν τοῦ Ἀπόλλωνος ὁπόσον βούλοιτο ἑκάστη πόλις, ἔπειτα εἰ μή τις ἐῴη αὐτονόμους τὰς πόλεις εἶναι, τότε πάλιν παρακαλέσαντας ὅσοι τῇ αὐτονομίᾳ βούλοιντο βοηθεῖν, ἄγειν ἐπὶ τοὺς ἐναντιουμένους· οὕτω γὰρ ἂν ἔφη οἴεσθαι τούς τε θεοὺς εὐμενεστάτους εἶναι καὶ τὰς πόλεις ἥκιστ' ἂν ἄχθεσθαι· ἡ δ' ἐκκλησία ἀκούσασα ταῦτα ἐκεῖνον μὲν φλυαρεῖν ἡγήσατο· ἤδη γάρ, ὡς ἔοικε, τὸ δαιμόνιον ἦγεν· ἐπέστειλαν δὲ τῷ Κλεομβρότῳ μὴ διαλύειν τὸ στράτευμα,*

ἀλλ' εὐθὺς ἄγειν ἐπὶ τοὺς Θηβαίους, εἰ μὴ αὐτονόμους ἀφίοιεν τὰς πόλεις. Sententiam primariam, quae incipit a verbis *Κλεόμβροτον δὲ ἔχοντα,* post cogitationes interpositas mutari, quantum ad structuram grammaticam attinet, mutataque constructione *ἐπέστειλαν δὲ τῷ Κλεομβρότῳ κτλ.* confici videmus. Ita nomen proprium Cleombroti, quo planior faciliorque ad intellegendum fiat oratio, excipitur ea forma elocutionis, quae *ἐπανάληψις* a rhetoribus nominatur[1]). Duplicem verum si quaerimus structurae perturbationem subesse hoc exemplum nos docet; nam ipsa enuntiatio *ἡ δ' ἐκκλησία ἀκούσασα . . . ἡγήσατο* anacoluthiam quandam praebet[2]), quam scriptor evitare potuit, si pro enuntiatione primaria genetivum absolutum *τῆς δ' ἐκκλησίας . . . ἡγησαμένης,* quem oppositum priori *Προθόου λέξαντος* exspectamus, abhibuisset. Sed liberam illam cogitationis formam parenthesi *οὕτω γὰρ ἂν ἔφη κτλ.* interiecta multo sublevari dicimus. Ipsa autem in concinnitate bis evitata haud scio an ars quaedam posita sit, quam ita accipi volo, ut Xenophon a constructione grammatica atque usitata consulto recedere et — liceat mihi hac comparatione uti — viam sermonis usu recepti atque exspectati deserere in animo habuerit. Singularis vero ars in eo conspicienda esse mihi videtur, quod omnia quamquam ad formam inusitatam redacta tamen speciem praebent maximae sim-

---

[1]) Huius figurae optimam planissimamque definitionem invenio apud Anonymum *περὶ σχημάτων* (Rhet. Graeci VIII 705, 13 ss. Walz): *ἐπανάληψις δέ ἐστιν ἀνάληψις προειρημένου τινός, μεταξυλογίας ἐμβεβλημένης, ἵνα διὰ τὴν μεσολαβησάντων λόγων ἐγγενομένην λήθην λήσῃ καὶ προς μνήμην ἀγάγῃ τοῦ πρότερον εἰρημένου.* Verba *ἵνα διὰ τὴν μεσολαβησάντων λόγων ἐγγενομένην λήθην λήσῃ,* quae sensu plane carent, Carolus Praechter emendat ita: *ἵνα τὴν διὰ τῶν μεσολαβησάντων λόγων ἐγγενομένην λήθην λύσῃ,* id quod benignissime mecum communicavit. — Exemplum Xenophonteum epanalepsim illustrans eo modo, quo communi hac notione utimur, praebet Hermogenes *περὶ μεθόδου δεινότητος* 9 (Rhet. Graeci VI 424, 12 ss. Rabe): *παρὰ δὲ τοῖς πεζοῖς ἐπὶ μὲν πράγματος διδασκαλίᾳ Ξενοφῶν ἐν Ἀπομνημονεύμασιν* (scil. *ἐπανέλαβεν*) *«ἀδικεῖ Σωκράτης οὓς μὲν ἡ πόλις νομίζει θεοὺς οὐ νομίζων, ἕτερα δὲ καινὰ δαιμόνια εἰσφέρων· ἀδικεῖ δὲ καὶ τοὺς νέους διαφθείρων»* (cf. ad hunc locum exemplum Hell. III 5, 23, quod infra p. 22 s. proferam).

[2]) In textu exhibendo et hic et infra duplicem constructionis mutationem litteris diductis significo.

plicitatis atque orationis ita progredientis, ut nos quoque, si huiusmodi periodum inteximus, e nostra communi consuetudine loquimur. Meminerimus igitur verba, quae supra de simplicitate Xenophontea artis usurpatae et eiusdem dissimulatae fecimus[1]), quo modo haec de qua agitur proprietas bene explicari mihi videtur certeque melius quam ratione psychologica adhibita, qua hic nihil adiuvamur; neque enim intellegitur, cur verba immutata, quae Luisae Reinhard videntur esse «Ausdruck eines ersten Konzipierens der Gedanken»[2]) secundum exempla Platonis, ipsa forma non concinna speciem, quam eis tribuit, magis praebeant quam si ad formam grammaticis legibus respondentem essent relata. Nonne fieri potest, ut scriptor, etiamsi sententia interposita satis longa praecesserit, novam cogitationem, ubi primum mentem subiit, normam grammaticam secutus formet? Nonne eundem scriptorem verba sua relegisse atque, quod nos non concinnum esse sentimus, et ipsum intellexisse putamus? At de industria anacoluthiam admisit!

Idem observatur in Hell. I 3, 18—20: *ἐπεὶ δ' ἐξέπλευσεν ὁ Κλέαρχος, οἱ προδιδόντες τὴν πόλιν τῶν Βυζαντίων Κύδων καὶ Ἀρίστων καὶ Ἀναξικράτης καὶ Λυκοῦργος καὶ Ἀναξίλαος, ὃς ὑπαγόμενος θανάτου ὕστερον ἐν Λακεδαίμονι διὰ τὴν προδοσίαν ἀπέφυγεν εἰπών, ὅτι οὐ προδοίη τὴν πόλιν, ἀλλὰ σῶσαι, παῖδας ὁρῶν καὶ γυναῖκας λιμῷ ἀπολλυμένους, Βυζάντιος ὢν καὶ οὐ Λακεδαιμόνιος· τὸν γὰρ ἐνόντα σῖτον Κλέαρχον τοῖς Λακεδαιμονίων στρατιώταις διδόναι· διὰ ταῦτ' οὖν τοὺς πολεμίους ἔφη εἰσέσθαι, οὐκ ἀργυρίου ἕνεκα οὐδὲ διὰ τὸ μισεῖν Λακεδαιμονίους· ἐπεὶ δὲ αὐτοῖς παρεσκεύαστο, νυκτὸς ἀνοίξαντες τὰς πύλας τὰς ἐπὶ τὸ Θρᾴκιον καλούμενον εἰσήγαγον τὸ στράτευμα καὶ τὸν Ἀλκιβιάδην.* Post verba *οἱ προδιδόντες τὴν πόλιν τῶν Βυζαντίων* addidit J. J. Hartman, cui assensus est Otto Keller, *πρὸς ἔργον ἐτράποντο· ἦσαν δὲ οἵδε,* molestia ut videtur anacoluthiae ductus. Sed defendendus est locus vexatus ab iniuria viri critici, atque facile defenditur, si respicimus Xenophontem longa defensione Anaxilai interposita perspicuitatis

---

[1]) p. 5; 11.
[2]) l. c. p. 61.

causa sententiam primariam *οἱ προδιδόντες κτλ.* excepisse verbis *ἐπεὶ δὲ αὐτοῖς κτλ.* Simul defenditur anacoluthia similitudine, quae ei est cum loco antecedente Hell. VI 4, 2; inhibetur enim hic et illic concinna structura post sententiam interpositam: *τὸν γὰρ ἐνόντα σῖτον . . .· διὰ ταῦτ' οὖν κτλ.; οὕτω γὰρ ἂν ἔφη . . .· ἡ δ' ἐκκλησία . . . ἡγήσατο.* Interpositionem igitur, quam Graeci *παρένθεσιν* vel *παρέμπτωσιν* vocant[1]), non nihil valere ad verborum constructionem mutandam apparet. Hunc in usum scribendi inquisivit iam Josephus Schmitt in dissertatione, quam scripsit «De parenthesis usu Hippocratico, Herodoteo, Thucydideo, Xenophonteo» (Gryphiae 1913), qui proprio capite exponit, «quomodo interpositiones structuram verborum compositionis turbent» (p. 53 ss.)[2]).

Aliud exemplum huius anacoluthiae, quae exstat in verborum comprehensione satis longa, atque id gravissimum legitur in Cyr. IV 6, 3 s. (queritur Gobryas filio, quem unum habuit, privatum se esse): *ὃς γὰρ ἦν μοι μόνος καὶ καλὸς κἀγαθός, ὦ δέσποτα, καὶ ἐμὲ φιλῶν καὶ τιμῶν ὥσπερ ἂν εὐδαίμονα πατέρα παῖς τιμῶν τιθείη, τοῦτον ὁ νῦν βασιλεὺς οὗτος καλέσαντος τοῦ τότε βασιλέως, πατρὸς δὲ τοῦ νῦν, ὡς δώσοντος τὴν θυγατέρα τῷ ἐμῷ παιδί, ἐγὼ μὲν ἀπεπεμψάμην μέγα φρονῶν . . .· ὁ δὲ νῦν βασιλεὺς εἰς θήραν αὐτὸν παρακαλέσας καὶ ἀνεὶς αὐτῷ θηρᾶν ἀνὰ κράτος, ὡς πολὺ κρείττων αὐτοῦ ἱππεὺς ἡγούμενος εἶναι, ὁ μὲν ὡς φίλῳ συνεθήρα, φανείσης δ' ἄρκτου διώκοντες ἀμφότεροι, ὁ μὲν νῦν ἄρχων . . . ἥμαρτεν, ὡς μήποτε ὤφελεν, ὁ δ' ἐμὸς παῖς . . . καταβάλλει τὴν ἄρκτον. καὶ τότε μὲν δὴ ἀνιαθεὶς ἄρ' οὗτος κατέσχεν ὑπὸ σκότου τὸν φθόνον· ὡς δὲ πάλιν λέοντος παρατυχόντος ὁ μὲν αὖ ἥμαρτεν . . ., ὁ δ' αὖ ἐμὸς παῖς . . . κατειργάσατό τε τὸν λέοντα . . ., ἐν τούτῳ δὴ οὐκέτι κατίσχει ὁ ἀνόσιος τὸν φθόνον, ἀλλ' . . . τὸν μόνον μοι καὶ φίλον παῖδα ἀφείλετο τὴν ψυχήν.* Pariter atque prioribus locis sententia

---

[1]) Cf. Quintil. instit. orat. IX 3, 23, qui subesse interclusionem dicit, «dum continuationi sermonis medius aliquis sensus intervenit».

[2]) Interpositionem ille hunc in modum explicat (p. 8 s.): «ea modo enuntiata interclusa *παρενθέσεις* possunt dici, quae per se ipsa sententiam integram et perfectam continent».

primaria *τοῦτον ὁ νῦν βασιλεὺς οὗτος κτλ.* imperfecta relinquitur studio satis perspicuo doloris patris depingendi, id quod sententiis interpositis et quasi amputatis efficitur. Quo modo quamquam a forma concinna et grammatica scriptor recedit, tamen maxime indulget sermonis simplicitati, quam artificiose imitatur, cum verba optime accommodat ad Gobryae querimonias, quas quin re vera tam abruptis ille iecerit verbis quis dubitet[1])?

Ad idem anacoluthiae genus referendum est, quod interdum post comparationem sermonis continuationi interpositam Xenophon structuram, quam instituit, denuo incohat, cum vocabulum quoddam initii excipit; legimus in Cyr. I 6, 16: *πρὸς τοῦτο δὴ ὁ πατὴρ εἶπεν· Ἀλλ', ὦ παῖ, ἔφη, οὗτοι μὲν οὓς λέγεις, ὥσπερ ἱματίων ῥαγέντων εἰσί τινες ἀκεσταί, οὕτω καὶ οἱ ἰατροί, ὅταν τινὲς νοσῶσι, τότε ἰῶνται τούτους.* Haec anacoluthia ea re effecta est, quod et notio initio posita *οὗτοι μὲν κτλ.* excipitur substantivo *οἱ ἰατροί* et vocula *οὕτω* refertur ad comparationem interiectam. Membro igitur praeter opinionem interposito scriptor adducitur, ut initium comprehensionis verborum iteret perspicuitatis certe causa. Ac profecto quanto planior apertiorque comparatio fit repetitione notionis comparandae *οἱ ἰατροί,* ut nil relinquatur, quod dubitationem habeat!

Idem observatur in Mem. I 2, 24: *Ἀλκιβιάδης δ' αὖ διὰ μὲν κάλλος ὑπὸ πολλῶν καὶ σεμνῶν γυναικῶν θηρώμενος, διὰ δύναμιν δὲ . . . ὑπὸ πολλῶν . . . ἀνθρώπων διαθρυπτόμενος, ὑπὸ δὲ τοῦ δήμου τιμώμενος καὶ ῥᾳδίως πρωτεύων, ὥσπερ οἱ τῶν γυμνικῶν ἀγώνων ἀθληταὶ ῥᾳδίως πρω-*

---

[1]) Arrianum quoque huiusmodi anacoluthiae exemplum praebere cognovi ex dissertatione, quam conscripsit Hermannus Riccardus Grundmann «Quid in elocutione Arriani Herodoto debeatur» (Lipsiae [Berolini] 1884), qui affert p. 50 Arr. Anab. IV 4, 4: *Ὁ δὲ* (scil. *Ἀλέξανδρος*), *ὡς αἵ τε διφθέραι αὐτῷ παρεσκευασμέναι ἦσαν . . . καὶ ὁ στρατὸς ἐξωπλισμένος ἐφειστήκει τῷ ποταμῷ, αἵ τε μηχαναὶ . . . ἐξηκόντιζον ἐς τοὺς Σκύθας . . . καὶ ἔστιν οἳ αὐτῶν ἐτιτρώσκοντο ἐκ τῶν βελῶν, εἷς δὲ δὴ . . . πληγεὶς πίπτει ἀπὸ τοῦ ἵππου, οἱ μὲν ἐξεπλάγησαν . . . καὶ ὀλίγον ἀνεχώρησαν ἀπὸ τῆς ὄχθης· Ἀλέξανδρος δὲ . . . ὑπὸ σαλπίγγων ἐπέρα τὸν ποταμὸν αὐτὸς ἡγούμενος.*

τεύοντες ἀμελοῦσι τῆς ἀσκήσεως, οὕτω κἀκεῖνος ἠμέλησεν αὑτοῦ[1]).

b) Participialis constructio aut sententia secundaria post enuntiationem non convenienter cum initio prolatam excipitur.

Transeamus nunc ad aliam speciem anacoluthiae in longioribus periodis exstantis, quam explanare liceat exemplo Hell. III 5, 23: *λογιζόμενος δ' ὁ Παυσανίας καὶ οἱ ἄλλοι οἱ ἐν τέλει*

[1]) Neque vero disiungenda est ab his exemplis anacoluthia, quam exhibet locus Hell. II 4, 41: *ἀλλ' ἐπὶ Λακεδαιμονίοις δὴ οἴεσθε μέγα φρονητέον εἶναι; πῶς, οἵγε, ὥσπερ τοὺς δάκνοντας κύνας κλοιῷ δήσαντες παραδιδόασιν, οὕτω κἀκεῖνοι ὑμᾶς παραδόντες τῷ ἠδικημένῳ τούτῳ δήμῳ οἴχονται ἀπιόντες;* Enuntiatum relativum, quod incipit a pronomine *οἵγε* — post *πῶς* audias necesse est *ἐπὶ τούτοις* —, comparatione interposita plane luxatur aeque atque in exemplo de rep. Lac. 10, 4: *τόδε γε μὴν τοῦ Λυκούργου πῶς οὐ μεγάλως ἄξιον ἀγασθῆναι; ὃς ἐπειδὴ κατέμαθεν, ὅτι ὅπου οἱ βουλόμενοι ⟨μόνοι⟩ ἐπιμελοῦνται τῆς ἀρετῆς οὐχ ἱκανοί εἰσι τὰς πατρίδας αὔξειν, ἐκεῖνος ἐν τῇ Σπάρτῃ ἠνάγκασε δημοσίᾳ πάντας πάσας ἀσκεῖν τὰς ἀρετάς.* Hic sententia secundaria interiecta deflectit oratio ab initio, cum pronomini relativo demonstrativum substituitur. Quo modo quin tota comprehensio verborum facilior fiat ad intellegendum, non est dubium.

Plane eodem modo constructio turbatur in Cyr. I 4, 19: *Ἀλλ' οὐχ ὁρᾷς, ἔφη, ὦ παῖ, ὅσον τὸ στῖφος τῶν ἱππέων ἕστηκε συντεταγμένον; οἳ ἢν ἐπ' ἐκείνους ἡμεῖς ἐλαύνωμεν, ὑποτεμοῦνται ἡμᾶς πάλιν ἐκεῖνοι.* Pronomen *ἐκεῖνοι* in omnibus codicibus traditum neglegitur ab editoribus excepto Nitschio (deletur ab Hugio et Marchantio, mutatur in *ἐνθένδε* a Gemollio); atqui servandum illud esse censeo, cum hic gravissima forma antithesis vel contrapositi subsit, quae appellatur a Graecis *ἀντιμεταβολή*, a Latinis commutatio (cf. R. Volkmann, Rhetorik der Griechen und Römer, in «Handbuch der klassischen Altertumswissenschaft, herausgegeben von Iwan von Müller» II[3] 3, p. 46, 2). Opponuntur enim inter se et verba *ἐπ' ἐκείνους ἡμεῖς* et *ἡμᾶς ἐκεῖνοι.* Cuius proprietatis rhetoricae ex ipsius Xenophontis usu permulta exempla afferri possunt (cf. Hier. 6, 5: *ἐπιθυμεῖν δὲ τοὺς μὲν ἐλευθέρους δούλους ἔχειν, τοὺς δὲ δούλους ἀναγκάζεσθαι ποιεῖν ἐλευθέρους.* Alia vide Mem. II 1, 33; 6, 23; III 8, 7; Cyr. I 3, 17; II 1, 8; Hell. VI 4, 23 [cf. H. Schacht, l. c. p. 28, qui comparat cum hoc loco Plat. Phaedr. 267 A; Isocr. 4, 8]; VII 4, 34; Hipparch. 5, 2; 10; Ages. 6, 6). Demonstratur igitur optime loco Cyr. I 4, 19 Xenophonteum artis rhetoricae studium.

Λακεδαιμονίων ὡς Λύσανδρος τετελευτηκὼς εἴη καὶ τὸ μετ' αὐτοῦ στράτευμα ἡττημένον ἀποκεχωρήκοι, καὶ Κορίνθιοι μὲν παντάπασιν οὐκ ἠκολούθουν αὐτοῖς, οἱ δὲ παρόντες οὐ προθύμως στρατεύοιντο· ἐλογίζοντο δὲ καὶ τὸ ἱππικὸν ὡς τὸ μὲν ἀντίπαλον πολύ, τὸ δὲ αὐτῶν ὀλίγον εἴη, τὸ δὲ μέγιστον, ὅτι οἱ νεκροὶ ὑπὸ τῷ τείχει ἔκειντο, ὥστε οὐδὲ κρείττοσιν οὖσι διὰ τοὺς ἀπὸ τῶν πύργων ῥᾴδιον εἴη ἀνελέσθαι· διὰ οὖν πάντα ταῦτα ἔδοξεν αὐτοῖς τοὺς νεκροὺς ὑποσπόνδους ἀναιρεῖσθαι. Post formam participialem *λογιζόμενος*, quae quasi fundamentum totius enuntiati posita nominativo expressa est[1]), exspectamus, ubi primum cogitatio considerandi a scriptore excipitur, participium *λογιζόμενοι* et in fine totius periodi verbum finitum *ἐψηφίσαντο*. Sed haec quam postulamus concinnitas grammatica de industria, ut mihi videtur, a Xenophonte tollitur simplicitatis atque perspicuitatis causa; nam si initium periodi respexisset scriptor constructionemque participialem iterasset, repetitio participii speciem structurae incommodae atque impeditae exhibuisset. Quod ut evitet, Xenophon cogitationem *ἐλογίζοντο δὲ καὶ κτλ.* sententia libera neque ex initio dependente exprimit; hac forma soluta optime ad dictionem naturalem se applicat. Ac profecto sermo cotidianus non ita magnopere curat accuratum consensum cogitationis cuiusdam cum constructione incohata, praesertim cum satis longum membrum praecesserit. Simplicitati vero indulget cum repetitione verbi *λογίζεσθαι*, quod iterat ea forma epanalepseos, quae congruit cum Hermogenis exemplo supra[2]) allato atque etiam ab Aristide laudatur[3]), tum in fine ambitus verborum, cum omnibus causis consideratis breviter complectitur priora verbis *διὰ οὖν πάντα*

---

[1]) Cf. G. Bernhardy, l. c. p. 68: «Es lag . . . in der Natur des Nominativus, daß man ihn als einen Anfangspunkt der Betrachtung setzte, daher er sich im allgemeinen zur Exposition eignete».

[2]) p. 18, 1.

[3]) *Ἐπαλλαγήν* ille hanc figuram nominat (Rhet. Graeci II 520, 17 s. Spengel): *καὶ ἐπαλλαγαὶ πρέπουσι τῷ ἀφελεῖ λόγῳ, ἀδικεῖ μέν, ἀδικεῖ δέ.* Huius figurae, qua simplex genus dicendi ornari testatur rhetor, quid sit proprium, optime cognoscitur ex Aristidis verbis: *πρέπουσι δὲ τῷ ἀφελεῖ λόγῳ καὶ ἐπαλλαγαί, οἷον νομίζει οὐ νομίζων* (II 545, 17 Sp.).

ταῦτα. Quomodo argumentum astringens Xenophon creberrime vocula *οὖν* utitur[1]).

Simile exemplum legitur in Cyr. VIII 2, 24: *πρὸς δὲ τούτοις κατανοήσας τοὺς πολλοὺς τῶν ἀνθρώπων ὅτι ἢν μὲν ὑγιαίνοντες διατελῶσι, παρασκευάζονται ὅπως ἕξουσι τὰ ἐπιτήδεια καὶ κατατίθενται τὰ χρήσιμα εἰς τὴν τῶν ὑγιαινόντων δίαιταν· ὅπως δὲ ἢν ἀσθενήσωσι τὰ σύμφορα παρέσται, τούτου οὐ πάνυ ἐπιμελουμένους ἑώρα· ἔδοξεν οὖν καὶ ταῦτα ἐκπονῆσαι αὐτῷ κτλ.*, ubi Xenophon alteri membro enuntiationis bipertitae, quod et ipsum pendens e participii nominativo exspectamus, proprium addit verbum, cum scribit *τούτου οὐ πάνυ ἐπιμελουμένους ἑώρα* pro *τούτου οὐ πάνυ ἐπιμέλονται.*

Ad huius loci similitudinem — cf. inprimis verba *κατανοήσας* (*κατανοῶν*) . . . *ἑώρα* — proxime accedit exemplum Cyr. III 3, 9: *κατανοῶν δὲ ὁ Κῦρος ὡς εὖ μὲν αὐτῷ εἶχον τὰ σώματα οἱ στρατιῶται πρὸς τὸ δύνασθαι στρατιωτικοὺς πόνους φέρειν, εὖ δὲ τὰς ψυχὰς πρὸς τὸ καταφρονεῖν τῶν πολεμίων, ἐπιστήμονες δ' ἦσαν τὰ προσήκοντα τῇ ἑαυτῶν ἕκαστοι ὁπλίσει, καὶ πρὸς τὸ πείθεσθαι δὲ τοῖς ἄρχουσιν ἑώρα πάντας εὖ παρεσκευασμένους, ἐκ τούτων οὖν ἐπεθύμει τι ἤδη τῶν πρὸς τοὺς πολεμίους πράττειν κτλ.*

Huc referendi sunt etiam loci Cyr. VI 2, 9—12 et II 3, 21, quorum alterum (Cyr. II 3, 21) hic attulisse satis habebo[2]): *ἄλλον δέ ποτε ἰδὼν ταξίαρχον ἄγοντα τὴν τάξιν ἀπὸ τοῦ ποταμοῦ ἐπὶ τὸ ἄριστον ἐφ' ἑνός, καὶ ὁπότε δοκοίη αὐτῷ καιρὸς εἶναι, παραγγέλλοντα τὸν ὕστερον λόχον παράγειν, καὶ τὸν τρίτον καὶ τὸν τέταρτον, εἰς μέτωπον, ἐπεὶ δ' ἐν μετώπῳ οἱ λοχαγοὶ ἐγένοντο, παρηγγύησεν εἰς δύο ἄγειν τὸν λόχον· ἐκ τούτου δὴ παρῆγον οἱ δεκάδαρχοι εἰς μέτωπον· ὁπότε δ' αὖ ἐδόκει αὐτῷ καιρὸς εἶναι, παρήγγειλεν εἰς τέτταρας τὸν λόχον· οὕτω δὴ οἱ πεμπάδαρχοι αὖ παρῆγον εἰς τέτταρας· ἐπεὶ δὲ ἐπὶ θύραις*

---

[1]) Cf. Kühner-Gerth II³ 2, § 544, p. 327: «Sehr häufig wird *οὖν* wie das lat. igitur, ergo und das deutsche also gebraucht, um die unterbrochene Rede wieder aufzunehmen, daher auch nach Parenthesen».

[2]) Locum Cyr. VI 2, 9—12, quem infra p. 39 s. alia de causa exscribam, hic neglego.

τῆς σκηνῆς ἐγένοντο, παραγγείλας αὖ εἰς ἕνα [ἰόντων] εἰσῆγε τὸν πρῶτον λόχον, καὶ τὸν δεύτερον τούτου κατ' οὐρὰν ἐκέλευσεν ἕπεσθαι, καὶ τὸν τρίτον καὶ τὸν τέταρτον ὡσαύτως παραγγείλας ἡγεῖτο ἔσω· οὕτω δ' εἰσαγαγὼν κατέκλινεν ἐπὶ τὸ δεῖπνον ὥσπερ εἰσεπορεύοντο· τοῦτον οὖν ὁ Κῦρος ἀγασθεὶς τῆς τε πρᾳότητος τῆς διδασκαλίας καὶ τῆς ἐπιμελείας ἐκάλεσε ταύτην τὴν τάξιν ἐπὶ τὸ δεῖπνον σὺν τῷ ταξιάρχῳ. Etiamsi hoc loco in epanalepsi nominativus participii ἀγασθείς redeat ad initii nominativum ἰδών[1]), ut eadem anacoluthia, quam in Hell. III 5, 23 (λογιζόμενος δ' ὁ Παυσανίας καὶ οἱ ἄλλοι — διὰ οὖν πάντα ταῦτα ἔδοξεν αὐτοῖς) observavimus, hic non subsit, tamen anacoluthiae aliquid huic repetito participio adhaerere existimo, cum in enuntiationibus interpositis praecedat structurae mutatio, qua totus verborum ambitus plane luxetur[2]).

Enuntiationem secundariam pro participii nominativo exhibet locus Anab. III 1, 20: τὰ δ' αὖ τῶν στρατιωτῶν ὁπότε ἐνθυμοίμην, ὅτι τῶν μὲν ἀγαθῶν τούτων οὐδενὸς ἡμῖν μετείη, εἰ μὴ πριαίμεθα, ὅτου δ' ὠνησόμεθα ᾔδειν ἔτι ὀλίγους ἔχοντας, ἄλλως δέ πως πορίζεσθαι τὰ ἐπιτήδεια ἢ ὠνουμένους ὅρκους ἤδη κατέχοντας ἡμᾶς· ταῦτ' οὖν λογιζόμενος ἐνίοτε τὰς σπονδὰς μᾶλλον ἐφοβούμην ἢ νῦν τὸν πόλεμον. Alterum membrum sententiae tripertitae, quod ipsum quoque ex verbo ἐνθυμοίμην dependere necesse esset, si ad similitudinem prioris esset formatum, cum ad liberam solutam-

---

[1]) Haec epanalepsis ideo est notabilis, quod verbum ἰδών non eadem forma, sed paulo significantiore (ἀγασθείς) excipitur; qua re vel maxime differt hic locus ab exemplo Hell. III 5, 23 (supra p. 22 s.), ubi in enuntiatione interiecta epanalepsis fit per idem verbum λογιζόμενος-ἐλογίζοντο). Perspicuitatis certe causa hoc modo verbum quoddam excipitur (cf. Ed. Wentzel, Über die sogenannte absolute Partizipialkonstruktion der griechischen Sprache, Progr. Glogau 1857, p. 13: «. . . Wiederaufnahme [Epanalepsis] des vorhergehenden Nom. hat ihren Grund nicht etwa in der Nachlässigkeit oder Vergeßlichkeit des Schriftstellers . . ., sondern vielmehr in dem Streben nach Deutlichkeit»).

[2]) Longe aliter res se habet infra (B II 3), ubi verba faciam de simplici epanalepsi, quae, etsi exempla huius speciei similia exhibet, tamen huc non pertinet, cum non sit coniuncta cum anacoluthia quadam.

que formam redactum sit, anacoluthiam efficit, cui optime comparatur structurae perturbatio in Cyr. VIII 2, 24 obvia (supra p. 24).

c) Participiali constructioni aut sententiae secundariae post enuntiationem non concinne cum structura instituta prolatam finis ambitus per *δέ* (*μέντοι*) annectitur.

Hanc quoque anacoluthiam, quae in enuntiationum contextu occurrit, facere non possum quin in medio ponam. Legitur exempli causa in Hell. IV 8, 9: *λέγοντος δὲ τοῦ Κόνωνος ὡς εἰ ἐῴη αὐτὸν ἔχειν τὸ ναυτικόν, θρέψοι μὲν ἀπὸ τῶν νήσων, καταπλεύσας δ' εἰς τὴν πατρίδα συναναστήσοι τά τε μακρὰ τείχη τοῖς Ἀθηναίοις καὶ τὸ περὶ τὸν Πειραιᾶ τεῖχος, οὐ εἰδέναι ἔφη ὅτι Λακεδαιμονίοις οὐδὲν ἂν βαρύτερον γένοιτο, καὶ τοῦτο οὖν, ἔφη, σὺ τοῖς μὲν Ἀθηναίοις κεχαρισμένος ἔσει, τοὺς δὲ Λακεδαιμονίους τετιμωρημένος· ἐφ' ᾧ γὰρ πλεῖστα ἐπόνησαν, ἀτελὲς αὐτοῖς ποιήσεις· ὁ δὲ Φαρνάβαζος ἀκούσας ταῦτα ἀπέστειλεν αὐτὸν προθύμως εἰς τὰς Ἀθήνας κτλ.* Hinc cognoscitur aequabilitatem constructionis tolli verbis *καὶ τοῦτο οὖν, ἔφη, σὺ τοῖς μὲν Ἀθηναίοις κεχαρισμένος ἔσει,* quibus oratio obliqua *οὐ εἰδέναι ἔφη κτλ.* in rectam transigitur orationem; simul totam verborum comprehensionem post hanc mutationem quodammodo luxari nemo non intellegit, cum enuntiatio, quae periodum conficit, adiungitur particula *δέ*, quam ab initio ambitus abhorrere apparet. Hoc modo alteram structurae mutationem artissime cohaerere discimus cum altera[1]).

Alia huiusmodi anacolutha et ipsa in sermonis argumento exponendo facta cognoscuntur ex his locis: Hell. VII 4, 4: *εἰπόντος δὲ Δημοτίωνος ἐν τῷ δήμῳ τῶν Ἀθηναίων ὡς ἡ μὲν πρὸς τοὺς Ἀρκάδας φιλία καλῶς αὐτῷ δοκοίη πράττεσθαι, τοῖς μέντοι στρατηγοῖς προστάξαι ἔφη χρῆναι ὅπως καὶ Κόρινθος σῶα ᾖ τῷ δήμῳ τῶν Ἀθηναίων· ἀκούσαντες δὲ ταῦτα οἱ Κορίνθιοι, ταχὺ πέμψαντες*

---

[1]) Cf. supra p. 21.

ἱκανοὺς φρουροὺς ἑαυτῶν πάντοσε ὅπου Ἀθηναῖοι ἐφρούρουν εἶπαν αὐτοῖς ἀπιέναι κτλ[1]). Hell. VI 1, 13 (Polydamas de Iasone verba facit): ἐπεὶ δὲ ταῦτ' εἰπόντος αὐτοῦ ἐγὼ ἀπεκρινάμην ὅτι τὰ μὲν ἄλλα ἀξιόσκεπτα λέγει, τὸ δὲ Λακεδαιμονίοις ὄντας φίλους ἀποστῆναι πρὸς τοὺς ἐναντίους, μηδὲν ἔχοντας ἐγκαλεῖν, τοῦτ', ἔφην, ἄπορόν μοι δοκεῖ εἶναι· ὁ δ' ἐπαινέσας με καὶ εἰπὼν ὅτι μᾶλλον ἑκτέον μου εἴη, ὅτι τοιοῦτος εἴην, ἐφῆκέ μοι ἐλθόντι πρὸς ὑμᾶς λέγειν τἀληθῆ, ὅτι διανοοῖτο στρατεύειν ἐπὶ Φαρσαλίους, εἰ μὴ πεισοίμεθα. Hell. II 3, 15—18: τῷ μὲν οὖν πρώτῳ χρόνῳ ὁ Κριτίας τῷ Θηραμένει ὁμογνώμων τε καὶ φίλος ἦν· ἐπεὶ δὲ αὐτὸς μὲν προπετὴς ἦν ἐπὶ τὸ πολλοὺς ἀποκτείνειν, ἅτε καὶ φυγὼν ὑπὸ τοῦ δήμου, ὁ δὲ Θηραμένης ἀντέκοπτε, λέγων ὅτι οὐκ εἰκὸς εἴη θανατοῦν, εἴ τις ἐτιμᾶτο ὑπὸ τοῦ δήμου, τοὺς δὲ καλοὺς κἀγαθοὺς μηδὲν κακὸν εἰργάζετο, ἐπεὶ καὶ ἐγώ, ἔφη, καὶ σὺ πολλὰ δὴ τοῦ ἀρέσκειν ἕνεκα τῇ πόλει καὶ εἴπομεν καὶ ἐπράξαμεν· ὁ δέ (ἔτι γὰρ οἰκείως ἐχρῆτο τῷ Θηραμένει) ἀντέλεγεν ὅτι οὐκ ἐγχωροίη τοῖς πλεονεκτεῖν βουλομένοις μὴ οὐκ ἐκποδὼν ποιεῖσθαι τοὺς ἱκανωτάτους διακωλύειν· εἰ δέ, ὅτι τριάκοντά ἐσμεν καὶ οὐχ εἷς, ἧττόν τι οἴει ⟨ἢ⟩ ὥσπερ τυραννίδος ταύτης τῆς ἀρχῆς χρῆναι ἐπιμελεῖσθαι, εὐήθης εἶ. ἐπεὶ δὲ ἀποθνησκόντων πολλῶν καὶ ἀδίκως πολλοὶ δῆλοι ἦσαν συνιστάμενοί τε καὶ θαυμάζοντες τί ἔσοιτο ἡ πολιτεία, πάλιν ἔλεγεν ὁ Θηραμένης ὅτι εἰ μή τις κοινωνοὺς ἱκανοὺς λήψοιτο τῶν πραγμάτων, ἀδύνατον ἔσοιτο τὴν ὀλιγαρχίαν διαμένειν. ἐκ τούτου μέντοι Κριτίας καὶ οἱ ἄλλοι τριάκοντα ... καταλέγουσι τρισχιλίους τοὺς μεθέξοντας δὴ τῶν πραγμάτων κτλ[2]).

---

[1]) Ad mutationem *εἰπόντος-ἔφη* cf. etiam Cyr. VI 3, 17: *εἰπόντος δὲ Κύρου ὅτι τούτων μὲν εἴη ἅλις, Ἃ δὲ καιρὸς ἡμῖν εἰδέναι, ταῦτ', ἔφη, διηγοῦ, ὦ Ἀράσπα κτλ.*

[2]) Non assentior Ludovico Breitenbach (Xenophons Hellenika erklärt von Ludwig Breitenbach, I², Berlin 1884), qui sententiam a particula *δέ* incipientem (*ὁ δὲ ἀντέλεγεν κτλ.* Hell. II 3, 16; *τὸ δὲ Λακεδαιμονίοις ὄντας φίλους ἀποστῆναι κτλ.* Hell. VI 1, 13) auctoritatem enuntiati cogitationem terminantis habere praedicat (p. 192); sunt haec verba eius, postquam locos Hell. V 1, 28; VI 1, 13; 4, 2 laudavit:

Apparet igitur ex his quattuor locis enuntiationem quandam periodi non congruenter cum structura incohata prolatam — soluta enim est forma pendente, quam ex initio exspectamus — effecisse, ut finis ambitus verborum paulo liberius annecteretur (cf. exempli gratia Hell. VII 4, 4: εἰπόντος δὲ Δημοτίωνος . . . τοῖς μέντοι στρατηγοῖς προστάξαι ἔφη χρῆναι . . . ἀκούσαντες δὲ ταῦτα οἱ Κορίνθιοι . . .); illa enim sententia soluta in contextu sermonis paene vim primarii enuntiati habet, ut enuntiatio, quae totam periodum conficit, adiuncta sit particula δέ (μέντοι), quam ex initio verborum comprehensionis hic non exspectamus.

Certe hae constructionis perturbationes e simplici genere dicendi Xenophonteo explicandae sunt, quia ipsis in orationibus optime accommodare potuit scriptor verba ad dictionem naturalem popularemque, quam his mutationibus imitatur. Haud secus atque his locis Xenophon saepe in orationibus exponendis ab usitata consuetudine normaque grammatica recedit, cum primo virorum verba e sua memoria suis verbis exprimit, deinde verba ipsa illorum hominum respiciens partim ad rectam orationem ex oratione obliqua transit, partim verbum ἔφη ad obliquam addit orationem, quo maiorem habeat vim[1]).

Ex hac simplicitate ars quaedam scribendi cognoscitur; videntur enim omnia quam fieri potest maxime arte carere, quia sermonem naturalem et cotidianum imitatur scriptor, sed ipsa in imitatione huius simplicis generis artem quandam positam esse persuasum habeo.

«wo ebenfalls ein neuer Satz nach Vordersätzen eintritt, indem der vorher mit δέ eintretende Satz wegen seiner Bedeutsamkeit die logische Geltung eines den Gedanken abschließenden Nachsatzes hat». Mihi quidem enuntiatio ὁ δὲ ἀντέλεγεν (Hell. II 3, 16), quantum ad structuram ambitus attinet, par videtur esse sententiae ἐπεὶ καὶ ἐγώ, ἔφη, κτλ., quam, cum ad liberam rectae orationis formam transierit, in contextu verborum paene vim primarii enuntiati, non sententiae cogitationem terminantis habere arbitror.

[1]) De huiusmodi transitu ex oratione obliqua ad rectam orationem plura invenies infra p. 42 s.

2. De transitu ex constructionis forma dependente ad structuram liberam.

a) Transitus fit ex verbo infinito[1]) ad finitum verbum.

α) ex participio.

In enuntiationum membris, quae particulis quibusdam inter se respondentibus continentur, aequabilitas grammatica ita turbatur, ut participio praecedente in altero membro pro participio concinno verbum finitum substituatur; velut inhibetur concinnitas, si particulae *μέν-δέ* usurpantur, in Memorab. II 1, 30, ubi agitur de fabula illa Prodicea, qua opponuntur inter se nequitia et virtus: *ἥτις* (scil. *ἡ κακία*) *οὐδὲ τὴν τῶν ἡδέων ἐπιθυμίαν ἀναμένεις, ἀλλὰ πρὶν ἐπιθυμῆσαι πάντων ἐμπίμπλασαι, πρὶν μὲν πεινῆν ἐσθίουσα, πρὶν δὲ διψῆν πίνουσα, ἵνα μὲν ἡδέως φάγῃς, ὀψοποιοὺς μηχανωμένη, ἵνα δὲ ἡδέως πίῃς, οἴνους τε πολυτελεῖς παρασκευάζῃ καὶ τοῦ θέρους χιόνα περιθέουσα ζητεῖς.* Xenophon a participiorum formis exorsus eandem structuram ex ratione grammatica persequi debuit, sed concinnitatis legibus vinctum se non esse luce clarius demonstrat; alterum enim membrum finitis verbis *παρασκευάζῃ* et *ζητεῖς* asserit, tamquam si verbum finitum *μηχανᾷ* praecesserit.

Quomodo etsi anacoluthiam admittit, tamen perspicuitati sermonis magis indulget quam participiis usurpatis; nam participiorum continuationem *μηχανωμένη — παρασκευαζομένη — ζητοῦσα* addita participiali forma *περιθέουσα* incommodae structurae speciem exhibere atque molestiam quandam iis, qui legunt, afferre quis est, quin intellegat?

Haud aliter participia transeunt ad verbum finitum in Cyr. II 3, 8 (loquitur Pheraulas Persa quidam): *ὁρῶ γὰρ ὁμοίᾳ μὲν τροφῇ πάντας ἡμᾶς τὸ σῶμα ἀσκοῦντας, ὁμοίας δὲ συνουσίας πάντας ἀξιουμένους, ταὐτὰ δὲ πᾶσιν ἡμῖν πρό-*

---

[1]) Nomine verbi infiniti significari volo et infinitivum et participium, quibus opposita sunt verba finita, indicativus et coniunctivus et optativus et imperativus.

κειται, ubi congruenter cum constructione praecedente participium *προκείμενα* erat adhibendum[1]).

Alia huiusmodi exempla vide Anab. I 3, 15; 7, 20; VII 2, 2; Cyr. I 3, 5; II 3, 17; IV 2, 10; V 3, 30; Hell. IV 3, 13[2]); V 2, 40; Oec. 3, 7; Mem. II 1, 22, quorum e numero locum Anab. I 3, 15 facere non possum quin breviter exponam, cum propriam huius transitus speciem praebeat. Clearchus monet milites, ne se ipsum imperium suscepturum esse dicant, his verbis: *ὡς μὲν στρατηγήσοντα ἐμὲ ταύτην τὴν στρατηγίαν μηδεὶς ὑμῶν λεγέτω· πολλὰ γὰρ ἐνορῶ δι' ἃ ἐμοὶ τοῦτο οὐ ποιητέον· ὡς δὲ τῷ ἀνδρὶ ὃν ἂν ἕλησθε πείσομαι ᾗ δυνατὸν μάλιστα, ἵνα εἰδῆτε ὅτι καὶ ἄρχεσθαι ἐπίσταμαι ὥς τις καὶ ἄλλος μάλιστα ἀνθρώπων* (scil. *λεγέτω ἕκαστος ὑμῶν*). Hic post interpositionem structuram, quam incohavit, turbat Xenophon, id quod interclusione interiecta perfacile explicatur, eodem modo quo in Hell. V 2, 40: ... *ἔθετο τὰ ὅπλα* (scil. *ὁ Τελευτίας*),

---

1) Cf. ad hunc scribendi usum Arr. Anab. V 18, 4: *Πῶρος δὲ ... ὡς τῶν τε ἱππέων τὸν φόνον κατεῖδε καὶ τῶν ἐλεφάντων τοὺς μὲν αὐτοῦ πεπτωκότας, τοὺς δὲ ἐρήμους τῶν ἡγεμόνων λυπηροὺς πλανωμένους, τῶν δὲ πεζῶν αὐτῷ οἱ πλεῖους ἀπολώλεσαν, οὐχ ἧπερ Δαρεῖος ... ἐξάρχων τοῖς ἀμφ' αὐτὸν τῆς φυγῆς ἀπεχώρει...*

2) Liceat ad hunc locum Hell. IV 3, 13 (*ἔλεγεν* [scil. *ὁ Ἀγησίλαος*] *ὡς ἀγγέλλοιτο ὁ μὲν Πείσανδρος τετελευτηκώς, νικῴη δὲ τῇ ναυμαχίᾳ* [*νικώη* (*νικῴη*) codd., *νικῶν* Hartman, Keller]) animum attendere, cum documento sit, quam non intellegatur haec liberius scribendi ratio Xenophontea; Hartmanus enim hoc fert iudicium (Analecta Xenophontea, Lugduni Batavorum 1887, p. 348): «pro *νικῴη* necessario scribendum est *νικῶν*: non enim Xenophon talis scriptor est, qui ubi paratissimum est solitam perspicuamque locutionem ponere, eaque illa parte sententiae, quam iam scripsit, sponte suggeritur, se multum torqueat, ut nescio quam anacoluthiam ... admirantibus lectoribus proponere possit». Quid? Nonne prorsus stulta est haec de Xenophonte sententia? Nonne cetera exempla satis demonstrant Xenophontem, etiamsi constructionem, quae sententiae parte iam conscripta tamquam ultro ei offerebatur, persequi posset, tamen scribendi rationem usitatam atque tritam nil curasse neque verba ad normam, quam nos illi imponimus, direxisse? Neque vero habemus, cur illum, ut Hartmani verbis utar, «multum se torsisse» arbitremur, ut anacoluthiam quandam posset efficere; quid enim est simplicius quidque facilius intellegitur atque adhibetur quam huiusmodi transitio ex verbo infinito ad finitum verbum?

εὐώνυμον μὲν αὐτὸς ἔχων, οὕτω γὰρ συνέβαινεν αὐτῷ κατὰ τὰς πύλας ἰέναι ᾗ ἐξῆσαν οἱ πολέμιοι, ἡ δὲ ἄλλη φάλαγξ τῶν συμμάχων ἀπετέτατο πρὸς τὸ δεξιόν. Simul ex anacoluthia loci Anab. I 3, 15 vis quaedam cogitationis cognoscitur; nam postquam Clearchus imperium denegavit, opponit militum opinioni, quam reicit, certum promissum graviter factum et indicativi forma expressum: secuturum se esse affirmat, quemcumque illi ducem elegerint. Mutatio igitur constructionis non sine aliqua causa videtur facta esse.

Atque etiam in membris, quae aliis particulis inter se respondent, huiusmodi anacoluthiam Xenophontem admisisse apparet ex Mem. IV 4, 1 s., ubi, quid senserit Socrates de iustitia, exponitur: ἀλλὰ μὴν καὶ περὶ τοῦ δικαίου γε οὐκ ἀπεκρύπτετο ἣν εἶχε γνώμην, ἀλλὰ καὶ ἔργῳ ἀπεδείκνυτο, ἰδίᾳ τε πᾶσι νομίμως τε καὶ ὠφελίμως χρώμενος καὶ κοινῇ ἄρχουσί τε ἃ οἱ νόμοι προστάττοιεν πειθόμενος καὶ κατὰ πόλιν καὶ ἐν ταῖς στρατείαις οὕτως ὥστε διάδηλος εἶναι παρὰ τοὺς ἄλλους εὐτακτῶν, καὶ ὅτε ἐν ταῖς ἐκκλησίαις ἐπιστάτης γενόμενος οὐκ ἐπέτρεψε τῷ δήμῳ παρὰ τοὺς νόμους ψηφίσασθαι, ἀλλὰ σὺν τοῖς νόμοις ἠναντιώθη τοιαύτῃ ὁρμῇ τοῦ δήμου κτλ. Respondent inter se particulae copulativae τε et καί; exspectamus igitur secuti Fridericum Bornemann[1]) et Ludovicum Breitenbach[2]): καὶ αὐτὸς ἐν ταῖς ἐκκλησίαις ἐπιστάτης γενόμενος (καὶ ὅτε ἐπιστάτης ἐγένετο) οὐκ ἐπιτρέπων . . ., ἀλλὰ . . . ἐναντιούμενος. Sed Xenophon neglecto participio πειθόμενος alterum membrum sententiis secundariis ὅτε . . . οὐκ ἐπέτρεψε . . ., ἀλλὰ . . . ἠναντιώθη in medium profert. Quomodo decedens de norma grammatica participiorum frequentationem incommodam commode vitavit.

Aliud exemplum huc pertinens exstat in Cyr. III 3, 67: ἰδοῦσαι δ' αἱ γυναῖκες τῶν Ἀσσυρίων καὶ τῶν συμμάχων

---

[1]) Xenophontis quae extant ex librorum scriptorum fide et virorum doctorum coniecturis recensuit et interpretatus est J. G. Schneider, tom. IV Memorabilia Socratis et eiusdem Apologiam continens (post Schneiderum et Coraium rec. et interpret. est Fridericus Augustus Bornemann), ed. maior, Lipsiae 1829, p. 286.

[2]) Xenophons Memorabilien erklärt von Ludwig Breitenbach[6], Berlin 1889, p. 227.

φυγὴν ἤδη καὶ ἐν τῷ στρατοπέδῳ ἀνέκραγον καὶ ἔθεον ἐκπεπληγμέναι, αἱ μὲν καὶ τέκνα ἔχουσαι, αἱ δὲ καὶ νεώτεραι, καταρρηγνύμεναί τε πέπλους καὶ δρυπτόμεναι, καὶ ἱκετεύουσι [*ἱκετεύουσι* codd. HAG, Dindorf, Schneider, Bornemann; *ἱκετεύουσαι* reliqui codd., Nitsche, Gemoll, Marchant] [1]) *πάντας ὅτῳ ἐντυγχάνοιεν μὴ φεύγειν καταλιπόντας αὐτάς, ἀλλ' ἀμῦναι καὶ τέκνοις καὶ ἑαυταῖς καὶ σφίσιν αὐτοῖς.* Haud scio an lectio codicum HAG (= classis z Gemollianae) iniuria ab editoribus recentioris aetatis spreta sit, cum et ex ratione lectionis difficilioris defendi possit et huic quem comprobamus libero usui sermonis bene conveniat. [2])

Etiam particularum coniunctione *καί ... δέ* usurpata huiusmodi transitum fieri docet exemplum Cyr. V 4, 29: ... *παρῆν ὁ Γαδάτας ἄλλα τε δῶρα πολλὰ καὶ παντοῖα φέρων καὶ ἄγων ὡς ἂν ἐξ οἴκου μεγάλου, καὶ ἵππους δὲ ἦγε πολλοὺς ἀφελόμενος τῶν ἑαυτοῦ ἱππέων οἷς ἠπιστήκει διὰ τὴν ἐπιβουλήν* (*καὶ ἄγων* om. C). Haec particularum *καί ... δέ* coniunctio, quae post Homerica demum carmina apud scriptores occurrit, a Xenophonte adamatur [3]) atque id semper fere ita, ut verbum quoddam membri praecedentis post particulas sic coniunctas repetatur, velut hoc loco *ἄγων — ἦγε.* [4]) Quare non assentior Guilelmo Gemoll, qui verba *καὶ ἄγων* in textum non recepit codicem C secutus, in quo solo haec verba desunt; sed hunc codicem in textu constituendo neglegendum esse nuper demonstravit Axelus Persson, qui inquisivit in vestigia operum Xenophonteorum apud scriptores et in fragmentis papyraceis exstantia. [5])

---

[1]) Moneo lectorem me et hic et in sequentibus exemplis varias tantum codicum lectiones, non consensum indicare.

[2]) Cf. etiam Anab. II 3, 10: *Κλέαρχος μέντοι ἐπορεύετο τὰς μὲν σπονδὰς ποιησάμενος, τὸ δὲ στράτευμα ἔχων ἐν τάξει, καὶ αὐτὸς ὠπισθοφυλάκει* et II 3, 11: *καὶ ἐνταῦθα ἦν Κλέαρχον καταμαθεῖν ὡς ἐπεστάτει, ἐν μὲν τῇ ἀριστερᾷ χειρὶ τὸ δόρυ ἔχων, ἐν δὲ τῇ δεξιᾷ βακτηρίαν· καὶ εἴ τις αὐτῷ δοκοίη ... βλακεύειν, ἐκλεγόμενος τὸν ἐπιτήδειον ἔπαισεν ἂν κτλ.*

[3]) Cf. Kühner-Gerth II³ 2, § 523, p. 253.

[4]) Cf. infra (B II 1 a β).

[5]) Axel W. Persson, Zur Textgeschichte Xenophons (Lunds Universitets Årsskrift N. F. Afd. 1, Bd. 10, Nr. 2), Lund (C. W. K. Gleerup)-

Postremo locum Anab. II 5, 4, quippe qui particulas *οὔτε—τε* inter se copulatas exhibeat, in medium sum prolaturus, etsi interest aliquid inter hoc exemplum atque exempla adhuc enucleata. Clearchus veritus, ne decipiatur a Tissapherne, quocum iure iurando coniunctus est, primo Graecos praecavere pronuntiat, cum illum hostes se putare videant; tum insidias illius aperte se cognoscere non posse declarat atque pro sua parte illi insidiari ne in animo quidem se habere praedicat: *ἐπεὶ δὲ σκοπῶν οὐ δύναμαι οὔτε σε αἰσθέσθαι πειρώμενον ἡμᾶς κακῶς ποιεῖν ἐγώ τε σαφῶς οἶδα ὅτι ἡμεῖς γε οὐδὲ ἐπινοοῦμεν τοιοῦτον οὐδέν, ἔδοξέ μοι εἰς λόγους σοι ἐλθεῖν.* Collocatione particulae *οὔτε*, qua arta coniunctio verborum *οὐ δύναμαι οὔτε σε αἰσθέσθαι πειρώμενον* efficitur, differt hic locus ab exemplis modo pertractatis neque facile explicatur. Quae solito more sequi debebant (*οὔτε ἡμᾶς ἐπινοοῦντας*)[1], plane immutata in formam naturali sermoni respondentem redacta sunt; turbata enim concinnitate grammatica accommodat Xenophon orationem Clearchi populari usui loquendi atque ita exprimit, ut re vera haberi eam ab aliquo posse putemus. Optime huc quadrat anacoluthia, quae exstat in Anab. I 3, 15 (supra p. 30); nam illic membrum immutatum *ὡς δὲ τῷ ἀνδρὶ ... πείσομαι*, hic verba *ἐγώ τε σαφῶς οἶδα ὅτι κτλ.* affirmationem quandam continere nemo erit, qui non fateatur.

β) ex infinitivo.

Ad hanc quam exposuimus transitionem ex participii forma factam proxime accedit usus transeundi ex infinitivo ad finitum verbum.

Inveniuntur exempla huiusmodi: Anab. IV 2, 15: *ἐπεὶ δ' ἐγγὺς ἐγένοντο οἱ Ἕλληνες, λείπουσιν οἱ βάρβαροι ἀμαχητὶ τὸν μαστόν, ὥστε θαυμαστὸν πᾶσι γενέσθαι, καὶ ὑπώπτευον δείσαντας αὐτοὺς μὴ κυκλωθέντες πολιορκοῖντο ἀπολιπεῖν.* Constructionem a particula *ὥστε* incipientem ex forma depen-

---

Leipzig (Otto Harrassowitz) 1915; cf. p. 167, ubi quid valeant Cyrupaediae codices ad textum Xenophonteum exponit: «Bei der Textkonstituierung muß ... die x-Gruppe [ad hanc classem Gemollianam pertinet codex C] zur Seite geschoben ... werden».

[1]) Cf. H. Schacht, l. c. (supra p. 8, 3) p. 54 adnot.

dente ad liberam speciem converti discimus, id quod apparet etiam ex Anab. II 3, 10: *καὶ ἐνετύγχανον τάφροις καὶ αὐλῶσιν ὕδατος πλήρεσιν ὡς μὴ δύνασθαι διαβαίνειν ἄνευ γεφυρῶν· ἀλλ' ἐποιοῦντο διαβάσεις ἐκ τῶν φοινίκων οἳ ἦσαν ἐκπεπτωκότες, τοὺς δὲ καὶ ἐξέκοπτον* et Anab. IV 7, 17: *ᾤκουν δὲ ἐν τοῖς ὀχυροῖς, καὶ τὰ ἐπιτήδεια ἐν τούτοις ἀνακεκομισμένοι ἦσαν· ὥστε μηδὲν λαμβάνειν αὐτόθεν τοὺς Ἕλληνας, ἀλλὰ διετράφησαν τοῖς κτήνεσιν ἃ ἐκ τῶν Ταόχων ἔλαβον.*

Alia species huius transitus cognoscitur ex Mem. III 13, 1: *ὀργιζομένου δέ ποτέ τινος, ὅτι προσειπών τινα χαίρειν οὐκ ἀντιπροσερρήθη, Γελοῖον, ἔφη* (scil. *ὁ Σωκράτης*), *τὸ εἰ μὲν τὸ σῶμα κάκιον ἔχοντι ἀπήντησάς τῳ, μὴ ἂν ὀργίζεσθαι, ὅτι δὲ τὴν ψυχὴν ἀγροικοτέρως διακειμένῳ περιέτυχες, τοῦτό σε λυπεῖ.* Ipsa concinnitate neglecta — exspectamus alterum membrum hisce fere verbis prolatum: *ὅτι δὲ . . . περιέτυχες, λυπεῖσθαι* vel *ὅτι δὲ . . . περιέτυχες, τοῦτό σε λυπεῖν,* ut scribunt Dindorfius et Gustavus Sauppe[1]) — orationi plus ponderis attribuitur, quam si infinitivus in altero membro positus esset, cum indicativus *λυπεῖ* cogitationem ad praesens tempus referens rem praesentem sub oculos subiciat, infinitivus *λυπεῖν* autem verbi notionem solam temporis ratione non habita significet[2]). Simul hoc modo oratio propius ad similitudinem popularis moris loquendi accedere videtur; nam cum in sermone cotidiano, quod quisque sentit, quam fieri potest simplicissime verbis exprimat[3]), quid magis naturae sermonis convenit quam indicativus praesentis temporis *λυπεῖ*?

Idem transitus observatur in Cyr. VI 2, 2; *ἀκούσας δὲ ὁ Κῦρος εἶπε· Κελεύω τοίνυν ὑμᾶς τοὺς μὲν ἄλλους μένοντας*

---

[1]) Xenophontis opera ed. Gustavus Sauppe, vol. III, Lipsiae 1866, p. XXVII; p. 83.

[2]) Cf. Ellendt-Seyfferts Lateinische Grammatik (neubearbeitet von M. A. Seyffert und W. Fries)[55], 1911, p. 155, § 161: «Der Infinitiv gibt den bloßen Begriff des Verbums ohne Bestimmung der Person, des Numerus und der Zeit».

[3]) Cf. L. Reinhard l. c., quae de sermone cotidiano, quem Platoni attribuit, haec dicit (p. 195): «Bewußt war ihm (scil. Platoni) . . . im allgemeinen, daß er die Sprache des Lebens geben wollte, d. h. also, daß er seinem Empfinden den natürlichsten, unmittelbarsten Ausdruck zu geben suchte».

ἔνθα κατεσκηνώκατε φυλάττειν τὰ χρήματα καὶ ζῆν ὅπως ὑμῖν ἥδιστον· τρεῖς δέ μοι ἐλθόντες ὑμῶν ἐς τοὺς πολεμίους ὡς παρὰ τοῦ Ἰνδοῦ περὶ συμμαχίας, καὶ τὰ ἐκεῖ μαθόντες ... ὡς τάχιστα ἀπαγγείλατε ἐμοί τε καὶ τῷ Ἰνδῷ, ubi alterum membrum expeditum ex vinculis verbi regentis κελεύω liberam formam ἀπαγγείλατε obtinet. Atque etiam in libello de vectigalibus conscripto haec liberior structura invenitur (4, 14), ubi textui lectionem traditam reddere non dubito: πάλαι μὲν γὰρ δήπου ... ἀκηκόαμεν ὅτι Νικίας ... ἐκτήσατο ἐν τοῖς ἀργυρείοις χιλίους ἀνθρώπους, οὓς ἐκεῖνος Σωσίᾳ τῷ Θρᾳκὶ ἐξεμίσθωσεν, ἐφ' ᾧ ὀβολὸν μὲν ἀτελῆ ἑκάστου τῆς ἡμέρας ἀποδιδόναι, τὸν δ' ἀριθμὸν ἴσους ἀεὶ παρεῖχεν (παρεῖχεν codd., παρέχειν Leunclavius). In altero membro Xenophon finito verbo παρεῖχεν usus non iam condicionem locandi respicere videtur, sed quid Sosias, qui conduxit metalla, re vera Niciae praestiterit, exprimit. Qua de causa Leunclavii correctionem, quae vulgo in textum invasit, non probo, sed Ioannem Schneider sequor, qui et ipse hanc emendationem reicit his verbis[1]): «duram conditionem si significare voluisset Xenophon, verbo utendum fuerat, quod ‚redhibere' significet». Ceterum hoc anacoluthon optime convenit mutationi locorum Anab. IV 2, 15; II 3, 10; IV 7, 17 (supra p. 33 s.), ubi eodem modo quo hic in sententia consecutiva quae dicitur ad finitum transitur verbum.

Postremo duo loci huc pertinentes praesto mihi sunt, qui optime inter se respondent: Oec. 20, 28: καὶ ὅταν δεηθῶσιν ἀργυρίου (scil. οἱ ἔμποροι), οὐκ εἰκῇ αὐτὸν (scil. τὸν σῖτον) ὅπου ἂν τύχωσιν ἀπέβαλον, ἀλλ' ὅπου ἂν ἀκούσωσι τιμᾶσθαί τε μάλιστα τὸν σῖτον καὶ περὶ πλείστου αὐτὸν ποιῶνται οἱ ἄνθρωποι, τούτοις αὐτὸν ἄγοντες παραδιδόασι et Hipparch. 6, 1: Ἀλλὰ γὰρ οὐδὲν ἄν τις δύναιτο πλάσαι οἷον βούλεται, εἰ μὴ ἐξ ὧν γε πλάττοιτο παρεσκευασμένα εἴη ὡς πείθεσθαι τῇ τοῦ χειροτέχνου γνώμῃ· οὐδέ γ' ἂν ἐξ ἀνδρῶν, εἰ μὴ σὺν θεῷ οὕτω παρεσκευασμένοι ἔσονται, ὡς φιλικῶς τε ἔχειν πρὸς τὸν ἄρχοντα καὶ φρονιμώτερον

---

1) Tom. VI opuscula politica, equestria, venatica continens (post Schneiderum iterum rec. et interpret. est Gustavus Albertus Sauppe), Lipsiae 1838, p. 163.

σφῶν αὐτὸν ἡγήσονται (codd., *ἡγεῖσθαι* Stephanus et rec.) *περὶ τῶν πρὸς τοὺς πολεμίους ἀγώνων.* Certe structura verborum insolentem et duram mutationem demonstrat; nam in altero membro exspectatur illic *καὶ περὶ πλείστου αὐτὸν ποιεῖσθαι τοὺς ἀνθρώπους*, hic, sicut emendavit Stephanus, *καὶ φρονιμώτερον σφῶν αὐτὸν ἡγεῖσθαι.* Sed attractione quadam modorum, ut videtur, factum est anacoluthon, quod vides; spectat enim Xenophon alterum membrum comprehensionis per particulas *τε — καί* iunctae proferens ad initium sententiae secundariae atque conficit alteram enuntiationis partem ea constructione, qua secundariam sententiam incohavit. Ita et verbum *ποιῶνται* et *ἡγήσονται*, cum attrahantur ad *ὅπου ἂν ἀκούσωσι* et *εἰ μὴ παρεσκευασμένοι ἔσονται*, bene explicantur. Verbis Ioannis Schneider[1]: «neque enim *ἡγήσονται* potest referri ad antecedens *εἰ μή*, quod pertinet ad unum illud membrum *σὺν θεῷ . . . ἔσονται.* Huius praeparationis effectus redditur nunc his verbis: *ὡς φιλικῶς τε ἔχειν — καὶ — ἡγεῖσθαι*» nullo modo assentiri possum. Etsi, quod ad logicam attinet, recte iudicat ille, cum dicit praeparationis effectum reddi nunc (i. e. forma *ἡγεῖσθαι* recepta) verbis *ὡς φιλικῶς τε ἔχειν — καὶ — ἡγεῖσθαι*, tamen quis flagitare audeat, ut scriptor normam ex praeceptis logicis constitutam sequatur? Potuitne ille longe aliis legibus teneri ac nos ei imponimus? Utinam ad hanc scribendi rationem melius perspiciendam plura exempla huiusmodi apud Xenophontem legeremus, cum nisi multitudine locorum similium, si modo recte volumus iudicare, niti non possimus! Neque vero quidquam habemus, cur statuamus «praeparationis effectum» constructione concinna reddendum fuisse atque vulgatum *ἡγήσονται* mutemus in *ἡγεῖσθαι.* Quod si faceremus, etiam in Oec. 20, 28, ubi ad argumentum verbi *ἀκούσωσι* haud dubie pertinet etiam illud *καὶ περὶ πλείστου αὐτὸν ποιῶνται οἱ ἄνθρωποι*, verba *ποιῶνται οἱ ἄνθρωποι* mutanda erant.

At consulto Xenophontem constructionem usitatam nihil curasse persuasum habeo; nam cum huius anacoluthiae, quae scriptorem variata constructione ad liberam structuram verborum

---

[1]) Cf. l. c. (supra p. 35, 1) p. 318 s., ubi Stephani mutatio *ἡγεῖσθαι* probatur.

transire docet, cum frequentationem tum pondus recte considero atque hanc rationem scribendi saepe in orationibus sive rectis sive obliquis occurrere mecum reputo, facere non possum, quin ex hac proprietate aliquantum artis consulto quaesitae elucere colligam.[1]

---

[1]) Multo rarius invenitur contraria species huius transitus, cum in membris per particulas quasdam iunctis ex verbo finito transitur ad infinitum verbum. Exstant duo exempla, quae orationem a verbo finito exorsam in infinitivum converti documento sunt: Cyr. I 3, 13 (Astyages Mandanen filiam orat, ut Cyrum apud se relinquat): ἡ δὲ ἀπεκρίνατο ὅτι βούλοιτο μὲν ἅπαντα τῷ πατρὶ χαρίζεσθαι, ἄκοντα μέντοι τὸν παῖδα χαλεπὸν εἶναι νομίζειν καταλιπεῖν (cf. Kühner-Gerth II³ 2, p. 357).

Similiter oratio deflectit ab optativo ad infinitivum in Hell. IV 3, 1: ὄντι δ' αὐτῷ (scil. τῷ Ἀγησιλάῳ) ἐν Ἀμφιπόλει ἀγγέλλει Δερκυλίδας ὅτι νικῷέν τε αὖ Λακεδαιμόνιοι, καὶ αὐτῶν μὲν τεθνάναι ὀκτώ, τῶν δὲ πολεμίων παμπληθεῖς, ut nihil nos habere censeam, quod emendationem τεθναῖεν — ita scribunt viri docti Cobet et Du Rieu dubitanter approbante Ottone Keller — respiciamus.

Haud scio an etiam tertium exemplum huius speciei praesto nobis sit; legitur in Mem. III 6, 10: ἀλλά τοι περί γε φυλακῆς τῆς χώρας οἶδ' ὅτι ἤδη σοι μεμέληκε καὶ οἶσθα, ὁπόσαι τε φυλακαὶ ἐπίκαιροί εἰσι καὶ ὁπόσαι μή, καὶ ὁπόσοι τε φρουροὶ ἱκανοί εἰσι καὶ ὁπόσοι μή εἰσι, καὶ τὰς μὲν ἐπικαίρους φυλακὰς συμβουλεύσειν [συμβουλεύειν codd. BC et ut videntur alii, e quibus συμβουλεύσειν notatur; συμβουλεύσεις V] μείζονας ποιεῖν, τὰς δὲ περιττὰς ἀφαιρεῖν. Sequor interpretationem, quam dedit Fridericus Augustus Bornemann (Xenophontis quae extant . . . tom. IV . . . post Schneiderum . . . rec. et interpret. est. F. A. Bornemann, ed. mai., Lipsiae 1829, p. 198), qui συμβουλεύσειν recipit atque ita explicat: «repete οἶδα ὅτι, ut idem transitus ab indicativo ad infinitivum obtineat, qui est in locis Thucyd. III 25; I 3» (cf. Thuc. III, 25, 1: καὶ ἔλεγε [scil. ὁ Σάλαιθος] τοῖς προέδροις ὅτι ἐσβολή τε ἅμα ἐς τὴν Ἀττικὴν ἔσται καὶ αἱ τεσσαράκοντα νῆες παρέσονται ἃς ἔδει βοηθῆσαι αὐτοῖς, προαποπεμφθῆναί τε αὐτὸς . . .). Accusativum autem σε, qui deest verbo συμβουλεύσειν, ex σοι μεμέληκεν deducendum esse idem vir doctus pronuntiat.

Atque etiam transitum ex verbo finito ad participialem formam hoc exemplo illustrare liceat: Cyr. VIII 1, 26: ἐμφανίζων (scil. ὁ Κῦρος) δὲ καὶ τοῦτο ὅτι περὶ πολλοῦ ἐποιεῖτο μηδένα μήτε φίλον ἀδικεῖν μήτε σύμμαχον, ἀλλὰ τὸ δίκαιον ἰσχυρῶς ἀθρῶν, μᾶλλον καὶ τοὺς ἄλλους ᾤετ' ἂν τῶν μὲν αἰσχρῶν κερδῶν ἀπέχεσθαι, δια τοῦ δικαίου δ' ἐθέλειν πορεύεσθαι.

Hanc artem ita interpretandam esse arbitror, ut viam orationis usitatae atque aequabiliter profluentis de industria evitaverit Xenophon et constructionem in alium cursum atque e communi more loquendi exspectamus detorserit et deflexerit.

Quae ratio structurae concinnae scienter neglegendae maxime propria est sermonis Thucydidei, cuius obscuritas et verborum et circuituum explicanda est non ex eo, quod Thucydidi laboriose elocutioni opera fuit danda, sed ex studio recedendi ab usu grammatico.[1])

Haec sententia quid valeat optime ex exemplo intellegitur; legimus apud Thucydidem V 14, 1: *ξυνέβη τε εὐθὺς μετὰ τὴν ἐν Ἀμφιπόλει μάχην . . . ὥστε πολέμου μὲν μηδὲν ἔτι ἅψασθαι μηδετέρους, πρὸς δὲ τὴν εἰρήνην μᾶλλον τὴν γνώμην εἶχον, οἱ μὲν Ἀθηναῖοι πληγέντες ἐπὶ τῷ Δηλίῳ . . . καὶ οὐκ ἔχοντες τὴν ἐλπίδα τῆς ῥώμης πιστὴν ἔτι . . .· καὶ τοὺς ξυμμάχους ἅμα ἐδέδισαν σφῶν μὴ διὰ τὰ σφάλματα ἐπαιρόμενοι ἐπὶ πλέον ἀποστῶσι, μετεμέλοντό τε ὅτι μετὰ τὰ ἐν Πύλῳ καλῶς παρασχὸν οὐ ξυνέβησαν· οἱ δ' αὖ Λακεδαιμόνιοι παρὰ γνώμην μὲν ἀποβαίνοντος σφίσι τοῦ πολέμου, ἐν ᾧ ᾤοντο . . . καθαιρήσειν τὴν τῶν Ἀθηναίων δύναμιν . . ., περιπεσόντες δὲ τῇ ἐν τῇ νήσῳ ξυμφορᾷ . . . καὶ λῃστευομένης τῆς χώρας ἐκ τῆς Πύλου καὶ Κυθήρων, αὐτομολούντων τε τῶν Εἱλώτων καὶ ἀεὶ προσδοκίας οὔσης, μή τι . . . νεωτερίσωσι.* Post transitum ex constructione depen-

---

[1]) Cf. Hermogenes (p. 409, 24 ss. Rabe), qui causam obscuritatis Thucydideae repetit ex eo, quod ille magnitudini orationis grandique generi dicendi studebat: *ὁ τοίνυν Θουκυδίδης μάλιστα μεγέθους ἐφιέμενος τυγχάνει μέν του μεγέθους . . .· βούλεται μὲν γὰρ . . . σεμνὸν εἶναι τὸν λόγον αὐτῷ . . ., φαίνεται δὲ ὑπερβαίνων τοῦτο καὶ μάλιστα κατὰ τὴν λέξιν ἐπὶ τὸ τραχύτερον μᾶλλον καὶ τὸ σκληρότερον καὶ διὰ τοῦτο ἐπὶ τὸ ἀσαφέστερον* (cf. p. 249, 24 Rabe). Similia invenies apud Dionys. Halic. de Thuc. 24 (p. 363, 4 ss. Us.-Rad.): *ἐκδηλότατα δὲ αὐτοῦ καὶ χαρακτηρικώτατά ἐστι τό τε πειρᾶσθαι δι' ἐλαχίστων ὀνομάτων πλεῖστα σημαίνειν πράγματα καὶ πολλὰ συντιθέναι νοήματα εἰς ἕν, καὶ ⟨τὸ⟩ ἔτι προσδεχόμενόν τι τὸν ἀκροατὴν ἀκούσεσθαι καταλείπειν· ὑφ' ὧν ἀσαφὲς γίνεται τὸ βραχύ.* Idem Thucydidis proprium esse dicit *τὸ τραχὺ τῆς ἁρμονίας, τὸ τάχος τῶν σημασιῶν* (p. 363, 12 Us.-Rad.).

dente ad liberam formam εἶχον[1]) Thucydides orationem in duas partes Atheniensium et Lacedaemoniorum dispertiens e ratione grammatica exorditur a participiis πληγέντες et ἔχοντες, quae continuat liberis sententiis καὶ τοὺς ξυμμάχους ἅμα ἐδέδισαν σφῶν .., μετεμέλοντό τε κτλ.[2]). Deinde alteram periodi partem proferens singula eius membra per μέν — δέ iuncta varie exprimit: post genetivum absolutum adhibetur participium coniunctum (ἀποβαίνοντος τοῦ πολέμου, περιπεσόντες δὲ κτλ.), cui annectitur in eodem membro alter genetivus absolutus (καὶ λῃστευομένης τῆς χώρας).

Difficile est exemplum Xenophonteum admodum congruens afferre; neque enim exstant apud Xenophontem una in periodo tot tamque variae species huius anacoluthiae, quae notatur studio liberioris compositionis enuntiationum. Attamen haec Xenophontis verba (Cyr. VI 2, 9—12) non inepte aliqua ex parte comparari possunt: Ἐπεὶ δὲ οὕτω διακειμένων ἦλθον οἱ Ἰνδοὶ ἐκ τῶν πολεμίων οὓς ἐπεπόμφει Κῦρος ἐπὶ κατασκοπήν, καὶ ἔλεγον[3]) ὅτι Κροῖσος μὲν ἡγεμὼν καὶ στρατηγὸς πάντων ᾑρημένος εἴη τῶν πολεμίων, δεδογμένον δ' εἴη πᾶσι τοῖς συμμάχοις βασιλεῦσι πάσῃ τῇ δυνάμει ἕκαστον παρεῖναι, χρήματα δὲ εἰσφέρειν πάμπολλα, ταῦτα δὲ τελεῖν καὶ μισθουμένους οὓς δύναιντο καὶ δωρουμένους οἷς δέοι, ἤδη δὲ καὶ μεμισθωμένους εἶναι πολλοὺς μὲν Θρᾳκῶν μαχαιροφόρους, Αἰγυπτίους δὲ προσπλεῖν· καὶ ἀριθμὸν ἔλεγον εἰς δώδεκα μυριάδας σὺν ἀσπίσι ποδήρεσι καὶ δόρασι μεγάλοις, οἷάπερ καὶ νῦν ἔχουσι, καὶ κοπίσι· προσέτι δὲ καὶ Κυπρίων στράτευμα· παρεῖναι δ' ἤδη Κίλικας πάντας καὶ Φρύγας ἀμφοτέρους καὶ Λυκάονας καὶ Παφλαγόνας καὶ Καππαδόκας καὶ Ἀραβίους καὶ Φοίνικας καὶ σὺν τῷ Βαβυλῶνος ἄρχοντι τοὺς Ἀσσυρίους, καὶ Ἴωνας δὲ καὶ Αἰολέας καὶ σχεδὸν

---

[1]) Cf. Thukydides in Auswahl, herausg. von Edmund Lange (B. G. Teubner's Schülerausgaben), Leipzig und Berlin 1911, Kommentar II zu Buch VI—VIII, ²p. 183, ubi alia huiusmodi exempla Thucydidea collecta sunt.

[2]) Haec liberior compositio verborum plane congruit cum Xenophontis locis Anab. II 3, 10; 3, 11; Cyr. III 3, 67 (supra p. 31 s.).

[3]) De varia constructione post hoc verbum adhibita cf. Kühner-Gerth II³ 2, § 550, 1, adn. 3, p. 357 (cf. § 602, 8).

πάντας τοὺς Ἕλληνας τοὺς ἐν τῇ Ἀσίᾳ ἐποικοῦντας σὺν Κροίσῳ ἠναγκάσθαι ἕπεσθαι, πεπομφέναι δὲ Κροῖσον καὶ εἰς Λακεδαίμονα περὶ συμμαχίας· συλλέγεσθαι δὲ τὸ στράτευμα ἀμφὶ τὸν Πακτωλὸν ποταμόν, προϊέναι δὲ μέλλειν αὐτοὺς εἰς Θύμβραρα . . . καὶ ἀγορὰν πᾶσι παρηγγέλθαι ἐνταῦθα κομίζειν· σχεδὸν δὲ τούτοις ταὐτὰ ἔλεγον καὶ οἱ αἰχμάλωτοι· ἐπεμελεῖτο γὰρ καὶ τούτου ὁ Κῦρος ὅπως ἁλίσκοιντο παρ' ὧν ἔμελλε πεύσεσθαί τι· ἔπεμπε δὲ καὶ δούλοις ἐοικότας κατασκόπους ὡς αὐτομόλους· ὡς οὖν ταῦτα ἤκουσεν ὁ στρατὸς τοῦ Κύρου, ἐν φροντίδι τε ἐγένετο, ὥσπερ εἰκός, ἡσυχαίτεροί τε ἢ ὡς εἰώθεσαν διεφοίτων φαιδροί τε οὐ πάνυ ἐφαίνοντο ἐκυκλοῦντό τε καὶ μεστὰ ἦν πάντα ἀλλήλους ἐρωτώντων καὶ διαλεγομένων. Post longam enuntiationum seriem, quae ex verbo *ἔλεγον* varie dependent (*ἠρημένος εἴη, δεδογμένον εἴη, ἤδη δὲ καὶ μεμισθωμένους εἶναι*), plane liberae sententiae interponuntur (*καὶ ἀριθμὸν ἔλεγον κτλ., σχεδὸν δὲ τούτοις ταὐτὰ ἔλεγον κτλ., ἔπεμπε δὲ καὶ κτλ.*), post quas initium ambitus excipitur sententia secundaria *ὡς οὖν ταῦτα ἤκουσεν ὁ στρατὸς τοῦ Κύρου.*

Idem usus scribendi cognoscitur ex Arriano, quem Xenophontis imitatorem esse iam antiqui scriptores censuerunt velut Photius[1]), cuius iudicium iam supra commemoravi[2]). E numero iudicum recentioris aetatis eligo Eduardum Norden, qui his verbis utitur[3]): «Arrian hat mit unerreichter Virtuosität die *ἀφέλεια* Xenophons und die *γλυκύτης* Herodots kopiert, ohne dabei albern oder widerwärtig zu werden». Vestigia quaedam orationis Xenophonteae apud Arrianum exstantia demonstrata iam sunt in dissertationibus, quas conscripserunt Carolus Renz «Arrianus quatenus Xenophontis imitator sit» (Rostoch. 1879) et Hermannus Riccardus Grundmann[4]), qui p. 4—12 agit «de Xenophonteae orationis imitatione»[5]). Sed cum hi anacolutha apud Arrianum

---

1) Bibl. cod. 58 (p. 17 Bekk.).

2) p. 12, 1.

3) Die antike Kunstprosa I³ 1915, p. 394 s.

4) Cf. supra p. 21, 1.

5) Commemoretur hic necesse est etiam Doulceti thesis «Quid Xenophonti debuerit Flavius Arrianus», quam proponebat facultati litterarum Parisiensi (1882). Hanc commentationem ipsam inspicere

exstantia non comparaverint cum Xenophontis anacoluthis et omnino parum animum attenderint ad verborum ambitus inter se conferendos, non frustra singulis Xenophonteorum anacoluthorum generibus additurum me esse spero, si quid comparabile apud Arrianum invenietur.

Ad locum Xenophontis modo allatum (Cyr. VI 2, 9—12) referri potest exemplum Arrianeum (Anab. III 2, 3—6): *ἐν τούτῳ δὲ καὶ Ἡγέλοχος κατέπλευσεν εἰς Αἴγυπτον καὶ ἀπαγγέλλει Ἀλεξάνδρῳ Τενεδίους τε ἀποστάντας Περσῶν σφίσι προσθέσθαι (καὶ γὰρ καὶ ἄκοντας Πέρσαις προσχωρῆσαι) καὶ Χίων ὅτι δὴ ὁ δῆμος ἐπηγάγετο σφᾶς βίᾳ τῶν κατεχόντων τὴν πόλιν, οὓς Αὐτοφραδάτης τε καὶ Φαρνάβαζος ἐγκατέστησαν· ἁλῶναι δὲ αὐτόθι καὶ Φαρνάβαζον ἐγκαταληφθέντα καὶ Ἀριστόνικον Μηθυμναῖον τὸν τύραννον ἐσπλεύσαντα ἐς τὸν λιμένα τῆς Χίου . . .· καὶ τοὺς μὲν λῃστὰς πάντας αὐτοῦ κατακοπῆναι πρὸς σφῶν, Ἀριστόνικον δὲ ἦγε*[1]) *παρὰ Ἀλέξανδρον . . . καὶ τοὺς ἄλλους . . .· καὶ Μιτυλήνην δὲ Χάρητα ἔχοντα ὅτι ἀφείλετο καὶ τὰς ἄλλας*

---

non potui, sed cognovi ex dissertatione Grundmanni p. 2 sq. Doulcetus Xenophontis imitationem magis de forma quam de materia (sicut voluit Sintenisius; cf. Grundmann p. 1) intellegendam esse exponit. «Principium quidem et fons», ut verbis eius utar, «exstitit assidua Atticae apis operum pertractatio, sicut ostendunt et dicendi ratio repetita et saepius recitatae apud Nostrum sententiae» (ad hanc dicendi rationem repetitam cf., quae infra B I, II explicabo). Neque vero ex illa commentatione in elocutione Arriani quid Xenophonti debeatur satis nos perspicere Grundmannus censet.

[1]) Coniecturae, quibus huic anacoluthiae in omnibus codicibus traditae mederi conati sunt viri docti — Kruegerus scribit *ἄγειν* et Polakius inserit *ὅτι* ante *ἦγε* —, cum plane sint inutiles, merito ab editore Antonio Gerardo Roos reiciuntur. — Alia exempla huius transitus profert Grundmannus p. 45 s., qui comparat hunc Arriani usum cum locis quibusdam Herodoteis atque explicat ex neglegentia quadam, qua in re dissentio ab illo; persuasum enim habeo ab Herodoto eiusque imitatoribus anacoluthiam consulto esse frequentatam (cf. W. Schmid, Attizismus III p. 324, qui anacolutha apud Aelianum exstantia explicat non ex neglegentia, sed e consilio studioque scriptoris atque pergit: «wie denn die Anakoluthie ohne Zweifel mit Bewußtsein von dem Vorbild der *ἀφέλεια*, auch der xenophontischen, von Herodot und seinem Nachahmer Arrian . . . angewendet ist»).

τὰς ἐν Λέσβῳ πόλεις καὶ αὐτὰς ὁμολογίᾳ προσηγάγετο, Ἀμφοτερὸν δὲ σὺν ἑξήκοντα ναυσὶν ἐπὶ Κῶ ἔπεμψεν· ἐπικαλεῖσθαι γὰρ σφᾶς τοὺς Κῴους· καὶ αὐτὸς καταπλεύσας ὅτι εὗρε τὴν Κῶ πρὸς Ἀμφοτεροῦ ἤδη ἐχομένην. Post enuntiationes varie dependentes ex verbo *ἀπαγγέλλει* — annectitur primum infinitivus *προσθέσθαι*, deinde sententia secundaria *καὶ Χίων ὅτι κτλ.*, tum rursus infinitivus (*ἁλῶναι*) — medio in ambitu verborum subito constructio accusativi cum infinitivo coniuncti transigitur in structuram plane liberam *Ἀριστόνικον δὲ ἦγε κτλ.*, deinde redit oratio verbis *καὶ . . . ὅτι ἀφείλετο* ad initii formam dependentem.

Apparet igitur ex hac quidem anacoluthiae specie, quae studium elocutionis usitatae evitandae demonstrat, rationem quandam intercedere inter Arrianum et Xenophontem, ut Thucydidem omittam, quem huic arti multo magis quam illos indulsisse facile ex exemplis cognoscitur[1]).

Hac in proprietate sermonis congruit uterque scriptor cum Herodoti elocutione, qui specimen simplicitatis illis praebuit et ipse quoque hunc morem loquendi de industria certe, sicut etiam cetera anacoluthiae genera, amplexus est[2]).

b) Transitus fit ex oratione obliqua ad rectam orationem.

Aeque spectat ad transitum ex constructionis forma dependente ad liberam structuram, quod Xenophon persaepe, cum

---

[1]) Cf. exempli causa VI 24, 3: *καὶ ἔρως ἐνέπεσε τοῖς πᾶσιν ὁμοίως ἐκπλεῦσαι, τοῖς μὲν γὰρ πρεσβυτέροις ὡς ἢ καταστρεψομένοις ἐφ' ἃ ἔπλεον ἢ οὐδὲν ἂν σφαλεῖσαν μεγάλην δύναμιν, τοῖς δ' ἐν τῇ ἡλικίᾳ τῆς τε ἀπούσης πόθῳ ὄψεως καὶ θεωρίας, καὶ εὐέλπιδες ὄντες σωθήσεσθαι· ὁ δὲ πολὺς ὅμιλος καὶ στρατιώτης ἔν τε τῷ παρόντι ἀργύριον οἴσειν καὶ προσκτήσεσθαι δύναμιν ὅθεν ἀίδιον μισθοφορὰν ὑπάρξειν* (cf. Classen-Steup ad II 53, 4).

[2]) Liceat duo exempla afferre; cetera vide apud Grundmannum l. c. p. 45. Her. VI 49: *ποιήσασι δέ σφι ταῦτα ἰθέως Ἀθηναῖοι ἐπεκέατο, δοκέοντές τε ἐπὶ σφίσι ἔχοντας τοὺς Αἰγινήτας δεδωκέναι ὡς ἅμα τῷ Πέρσῃ ἐπὶ σφέας στρατεύωνται, καὶ ἄσμενοι προφάσιος ἐπελάβοντο κτλ.* Her. VIII 132: *τὸ γὰρ προσωτέρω πᾶν δεινὸν ἦν τοῖσι Ἕλλησι οὔτε τῶν χώρων ἐοῦσι ἐμπείροισι, στρατιῆς τε πάντα πλέα ἐδόκεε εἶναι, τὴν δὲ Σάμον ἐπιστέατο δόξῃ καὶ Ἡρακλέας στήλας ἴσον ἀπέχειν.*

sermonem quendam reddit oratione obliqua, in hoc scribendi genere non perstat, sed narrationem deflectit ad rectam orationem[1]). Iam supra in periodis longioribus interdum anacoluthiam quandam hoc modo effici vidimus[2]).

Huius transitionis duae species potissimum discernuntur, quarum alteri hoc exemplum documento est: Anab. VII 3, 28: *Γνήσιππος δέ τις Ἀθηναῖος ἀναστὰς εἶπεν ὅτι ἀρχαῖος εἴη νόμος κάλλιστος τοὺς μὲν ἔχοντας διδόναι τῷ βασιλεῖ τιμῆς ἕνεκα, τοῖς δὲ μὴ ἔχουσι διδόναι τὸν βασιλέα, ἵνα καὶ ἐγώ, ἔφη, ἔχω σοι δωρεῖσθαι καὶ τιμᾶν.* Proprium huius transitus est verbum *ἔφη* inseri sententiae, ubi primum oratio obliqua in formam rectae orationis redigitur.

Permulta huiusmodi exempla in Xenophontis scriptis atque iis historicis inveniuntur, quae ne multitudine locorum obruam eos, qui legunt, non sum exscripturus; exstant haec exempla: Anab. I 8, 12; II 1, 9; 3, 25 s.; III 1, 7; 3, 12; IV 1, 27; 8, 4; V 6, 25 s.; 6, 37; VII 7, 13 s.; 8, 3 s. Hell. I 1, 14; 7, 6; II 1, 25; 3, 15; 3, 19; 4, 18; III 3, 5; IV 8, 9; VII 1, 44. Cyr. II 4, 1; V 5, 1; VI 1, 3; 3, 17; VII 3, 13; VIII 3, 3. Ages. 8, 3.

Altera species exsistit, quando subito constructio in rectam transigitur orationem nullo verbo interposito, quo transitus aliqua ex parte sublevetur. Exemplo sit Anab. VII 3, 41: *πολλάκις γὰρ ἔφη* (scil. *ὁ Σεύθης*) *νύκτωρ αὐτὸς καὶ σὺν ὀλίγοις πορευόμενος ἀποσπασθῆναι σὺν τοῖς ἵπποις ἀπὸ τῶν πεζῶν· νῦν δ' ὥσπερ δεῖ ἁθρόοι πάντες ἅμα τῇ ἡμέρᾳ φαινόμεθα. ἀλλὰ ὑμεῖς μὲν περιμένετε αὐτοῦ καὶ ἀναπαύσασθε, ἐγὼ δὲ σκεψάμενός τι ἥξω.* Atque etiam hoc exemplum notabile est, quia post satis longam orationem obliquam ex inopinato uno verbo significatur structura mutata: Anab. I 3, 14:

---

[1]) Cf. Luisa Reinhard l. c. p. 87: «Verwandt mit dieser Erscheinung der Sejunktion und gleichsam als ihre äußerste Konsequenz erscheint der plötzliche Übergang aus der indirekten in die direkte Rede». Voce «Sejunktion» significat hunc quem exponimus transitum ex constructionis forma dependente ad structuram liberam (cf. p. 65: «Eine der schönsten Freiheiten des griechischen Sprachgebrauchs . . . ist die einfache Loslösung eines formal abhängigen Gedankens zur unmittelbar selbständigen Aussage. Ich nenne diese Erscheinung der Einfachheit halber Sejunktion»).

[2]) p. 26 ss.

εἷς δὲ δὴ εἶπε ... στρατηγοὺς μὲν ἑλέσθαι ἄλλους ...· τὰ δ' ἐπιτήδει' ἀγοράζεσθαι ... καὶ συσκευάζεσθαι· ἐλθόντας δὲ Κῦρον αἰτεῖν πλοῖα, ὡς ἀποπλέοιεν· ἐὰν δὲ μὴ διδῷ ταῦτα, ἡγεμόνα αἰτεῖν Κῦρον ... ἐὰν δὲ μηδὲ ἡγεμόνα διδῷ, συντάττεσθαι τὴν ταχίστην, πέμψαι δὲ καὶ προκαταληψομένους τὰ ἄκρα, ὅπως μὴ φθάσωσι μήτε Κῦρος μήτε οἱ Κίλικες καταλαβόντες, ὧν πολλοὺς καὶ πολλὰ χρήματα ἔχομεν ἀνηρπακότες. Indicativus *ἔχομεν*, qui turbat aequabilem orationis cursum, certe cum vi quadam scriptus est, quoniam verbis *ἔχομεν ἀνηρπακότες* certum factum opponitur illis, quae suadet is, qui verba facit.

Alia exempla huius alterius speciei vide Anab. I 3, 16; 3, 20; 9, 25; II 2, 1; 2, 4; 4, 19 s.; IV 1, 19; 8, 10; V 5, 24; 6, 19; VII 3, 17; 3, 18; 3, 34. Hell. I 1, 27; II 3, 16; VI 5, 35; VII 1, 24; 4, 40. Cyr. III 2, 12; V 3, 54[1]).

---

[1]) Perraro contrariam quoque speciem invenimus; legitur in Anab. VII 1, 39: *ἐλθὼν δ' ὁ Κλέανδρος, Μάλα μόλις, ἔφη, διαπραξάμενος ἥκω* [*ἥκω* codd.; *ἥκειν* Cobetus, quem sequitur Gemollius]. *λέγειν γὰρ Ἀναξίβιον ὅτι οὐκ ἐπιτήδειον εἴη τοὺς μὲν στρατιώτας πλησίον εἶναι τοῦ τείχους, Ξενοφῶντα δὲ ἔνδον· τοὺς Βυζαντίους δὲ στασιάζειν καὶ πονηροὺς εἶναι πρὸς ἀλλήλους· ὅμως δὲ εἰσιέναι, ἔφη, ἐκέλευεν, εἰ μέλλεις σὺν αὐτῷ ἐκπλεῖν.* Huiusmodi transitum ex oratione recta ad obliquam formam Xenophontem haud ita adamasse cognoscitur vel inde, quod in eodem enuntiato convertit verba Cleandri in rectam orationem (*ὅμως δὲ εἰσιέναι, ἔφη, ἐκέλευεν κτλ.*). Alterum exemplum exstat in Anab. VII 4, 24, ubi Xenophon haec verba facit: *Ἀλλ' ἔγωγε ἱκανὴν νομίζω καὶ νῦν δίκην ἔχειν, εἰ οὗτοι δοῦλοι ἔσονται ἀντ' ἐλευθέρων. συμβουλεύειν μέντοι ἔφη αὐτῷ τὸ λοιπὸν ὁμήρους λαμβάνειν τοὺς δυνατωτάτους κακόν τι ποιεῖν, τοὺς δὲ γέροντας οἴκοι ἐᾶν.* — Apud Arrianum quoque huiusmodi transitus et ex oratione obliqua ad rectam orationem et ex oratione recta ad obliquam orationem invenitur, id quod demonstratur his exemplis: Anab. V 11, 4: *παρηγγέλλετο δὲ Κρατερῷ μὴ πρὶν διαβαίνειν τὸν πόρον πρὶν ἀπαλλαγῆναι Πῶρον ξὺν τῇ δυνάμει ὡς ἐπὶ σφᾶς ἢ φεύγοντα μαθεῖν, αὐτοὺς δὲ νικῶντας· ἢν δὲ μέρος μέν τι τῆς στρατιᾶς ἀναλαβὼν Πῶρος ἐπ' ἐμὲ ἄγῃ, μέρος δέ τι ὑπολειφθῇ αὐτῷ ἐπὶ στρατοπέδου καὶ ἐλέφαντες, σὺ δὲ δὴ καὶ ὣς μένειν κατὰ χώραν κτλ.* Anab. IV 11, 2: *Καλλισθένην δὲ ὑπολαβόντα, Ἀλέξανδρον μέν, εἰπεῖν, ὦ Ἀνάξαρχε, οὐδεμιᾶς ἀνάξιον ἀποφαίνω τιμῆς ὅσαι ξύμμετροι ἀνθρώπῳ· ἀλλὰ διακεκρίσθαι γὰρ τοῖς ἀνθρώποις ὅσαι τε ἀνθρώπιναι τιμαὶ καὶ ὅσαι θεῖαι πολλοῖς μὲν καὶ ἄλλοις κτλ.*

c) Transitus fit ex enuntiato relativo ad sententiam liberam.

α) Pronomen relativum transit ad pronomen *αὐτός*.

Hunc usum quo melius explicem eligo haec exempla: Anab. III 3, 16: *ἀκούω δ' εἶναι ἐν τῷ στρατεύματι ἡμῶν Ῥοδίους, ὧν τοὺς πολλούς φασιν ἐπίστασθαι σφενδονᾶν, καὶ τὸ βέλος αὐτῶν καὶ διπλάσιον φέρεσθαι τῶν Περσικῶν σφενδονῶν* et Cyr. III 1, 38: . . . *ἐπήρετο ὁ Κῦρος, Εἰπέ μοι, ἔφη, ὦ Τιγράνη, ποῦ δὴ ἐκεῖνός ἐστιν ὁ ἀνὴρ ὃς συνεθήρα ἡμῖν καὶ σύ μοι μάλα ἐδόκεις θαυμάζειν αὐτόν.* Locus Cyr. VIII 1, 46: *οὓς δὲ κρατίστους τε ἡγεῖτο καὶ ὡπλισμένους καὶ ἀθρόους ὄντας ἑώρα — καὶ τοὺς μὲν αὐτῶν ᾔδει ἱππέων ἡγεμόνας ὄντας, τοὺς δὲ πεζῶν· πολλοὺς δὲ αὐτῶν καὶ φρονήματα ἔχοντας ᾐσθάνετο ὡς ἱκανοὺς ὄντας ἄρχειν· καὶ τοῖς φύλαξι δὲ αὐτοῦ οὗτοι μάλιστα ἐπλησίαζον, καὶ αὐτῷ δὲ τῷ Κύρῳ τούτων πολλοὶ πολλάκις συνεμείγνυσαν· ἀνάγκη γὰρ ἦν, ὅ,τι καὶ χρῆσθαι ἔμελλεν αὐτοῖς — ὑπὸ τούτων οὖν καὶ κίνδυνος ἦν αὐτὸν μάλιστα παθεῖν τι κατὰ πολλοὺς τρόπους* haud scio an huc referendus non sit propter interclusionem quae dicitur. Enuntiatum relativum convertitur ad structuram verborum, quae cum initio minime congruat. Etenim sententia adiecta, etsi tota cum enuntiato relativo artissime est coniuncta neque ab illo divelli potest, quantum ad sensum verborum attinet, tamen concinnitati grammaticae non obtemperat, sed speciem sententiae primariae neque dependentis e prioribus verbis praebet[1]). Hoc inde cognoscitur, quod altera enuntiatio exhibet pronomen determinativum *αὐτός*[2]) pro relativo pronomine, quod e norma grammatica exspectatur. Illo pronomine *αὐτός* excipitur pronomen relativum, id quod huius transitionis generis maxime est proprium.

Sed ut hunc transitum quam diligentissime consideremus, respiciamus necesse est etiam locos huiusmodi: Anab. IV 7, 2: *ἐπεὶ δ' ἀφίκοντο πρὸς χωρίον ὃ πόλιν μὲν οὐκ εἶχεν οὐδ' οἰκίας,*

---

[1]) Sed cf. etiam F. Hartmann in censura, quam scripsit de Luisae Reinhard commentatione (infra p. 49).

[2]) Perraro adhibetur etiam pronomen demonstrativum *οὗτος*.

συνεληλυθότες δ' ἦσαν αὐτόσε καὶ ἄνδρες καὶ γυναῖκες καὶ κτήνη πολλά, Χειρίσοφος μὲν οὖν πρὸς τοῦτο προσέβαλλεν εὐθὺς ἥκων κτλ. Anab. VII 3, 31 (Xenophon promissa facit Seuthi) ..: *πολλὴν χώραν τὴν μὲν ἀπολήψῃ πατρῴαν οὖσαν, τὴν δὲ κτήσῃ, πολλοὺς δὲ ἵππους, πολλοὺς δὲ ἄνδρας καὶ γυναῖκας καλὰς κτήσῃ, οὓς οὐ λῄζεσθαί σε δεήσει, ἀλλ' αὐτοὶ φέροντες παρέσονται πρὸς σὲ δῶρα.* de vect. 1, 4: *πέφυκε μὲν γὰρ λίθος* (i. e. marmor Hymettium et Pentelicum) *ἐν αὐτῇ* (scil. *τῇ γῇ*) *ἄφθονος, ἐξ οὗ κάλλιστοι μὲν ναοί, κάλλιστοι δὲ βωμοὶ γίγνονται, εὐπρεπέστατα δὲ θεοῖς ἀγάλματα· πολλοὶ δ' αὐτοῦ καὶ Ἕλληνες καὶ βάρβαροι προσδέονται.* Anab. III 1, 4: *ἦν δέ τις ἐν τῇ στρατιᾷ Ξενοφῶν Ἀθηναῖος, ὃς οὔτε στρατηγὸς οὔτε λοχαγὸς οὔτε στρατιώτης ὢν συνηκολούθει, ἀλλὰ Πρόξενος αὐτὸν μετεπέμψατο οἴκοθεν ξένος ὢν ἀρχαῖος*[1]). Transitum hic fieri apparet in membris, quae particulis quibusdam inter se respondentibus continentur, quo modo iam supra[2]) in membris ita copulatis constructionis mutationem invenimus[3]).

Atque etiam id notabile esse mihi videtur, quod pronomen relativum interdum excipitur pronomine personali, velut in Cyr. V 2, 15 (Gobryas Cyro haec respondet): *ὑμῖν νὴ Δί' εὖ οἶδ' ὅτι, ἔφη, καὶ στρώματα πλείω ἐστὶ καὶ κλῖναι, καὶ οἰκία γε πολὺ μείζων ἡ ὑμετέρα τῆς ἐμῆς, οἵ γε οἰκίᾳ μὲν χρῆσθε*

---

1) Huiusmodi exempla occurrunt etiam in Anab. I 10, 3; V 8, 13.

2) p. 29 ss.

3) Ad Xenophonteae elocutionis similitudinem accedit Arrianus, cum haec scribit: Anab. IV 2, 2: *Κρατερὸν δὲ ἐκπέμπει πρὸς τὴν καλουμένην Κυρούπολιν, ἥπερ μεγίστη πασῶν καὶ ἐς αὐτὴν οἱ πλεῖστοι ξυνειλεγμένοι ἦσαν τῶν βαρβάρων* (cf. Xen. Anab. IV 7, 2: ... *χωρίον, ὃ πόλιν μὲν οὐκ εἶχεν* ..., *συνεληλυθότες δ' ἦσαν αὐτόσε* ...). Anab. IV 9, 3 s.: ... *ἀπελθόντα δὲ ἐς τὴν εὐνὴν κεῖσθαι ὀδυρόμενον* (scil. *τὸν Ἀλέξανδρον*), *αὐτόν τε τὸν Κλεῖτον ὀνομαστὶ ἀνακαλοῦντα καὶ τὴν Κλείτου μὲν ἀδελφήν, αὐτὸν δὲ ἀναθρεψαμένην, Λανίκην τὴν Δρωπίδου παῖδα, ὡς καλὰ ἄρα αὐτῇ τροφεῖα ἀποτετικὼς εἴη ἀνδρωθείς, ᾗ γε τοὺς μὲν παῖδας ... ἐπεῖδεν ἀποθανόντας, τον ἀδελφὸν δὲ αὐτῆς αὐτὸς ... ἔκτεινε* ... Anab. II 21, 8: *ἐκ πολλοῦ δὴ καταπετάσαντες* (scil. *οἱ Τύριοι*) *τὸ στόμα τοῦ λιμένος ἱστίοις ... ἀμφὶ μέσον ἡμέρας, ὁπότε οἵ τε ναῦται ἐπὶ τὰ ἀναγκαῖα ἐσκεδασμένοι ἦσαν καὶ Ἀλέξανδρος ἐν τούτῳ μάλιστα ... ἐπὶ τὴν σκηνὴν ἀπεχώρει, πληρώσαντες πεντήρεις ... ἐξέπλεον* ...

γῇ τε καὶ οὐρανῷ, κλῖναι δ' ὑμῖν εἰσιν ὁπόσαι εὐναὶ γένοιντ' ἂν ἐπὶ γῆς κτλ. et in Anab. VII 6, 35 (Xenophon haec facit verba): ὑμεῖς δ', ὑπὲρ ὧν ἐγὼ ἀπήχθημαί τε πλεῖστα καὶ ταῦτα πολὺ κρείττοσιν ἐμαυτοῦ, πραγματευόμενός τε οὐδὲ νῦν πω πέπαυμαι ὅ,τι δύναμαι ἀγαθὸν ὑμῖν (om. codd. det.), τοιαύτην ἔχετε γνώμην περὶ ἐμοῦ.

β) Pronomen relativum pronomine αὐτός non respicitur in verbis sequentibus, potest autem facile cogitatione suppleri.

Pergamus ad alteram huius transitus speciem, quam illustrare liceat loco Anab. III 2, 5: Ἀριαῖος δέ, ὃν ἡμεῖς ἠθέλομεν βασιλέα καθιστάναι, καὶ ἐδώκαμεν καὶ ἐλάβομεν πιστὰ μὴ προδώσειν ἀλλήλους, καὶ οὗτος οὔτε τοὺς θεοὺς δείσας οὔτε Κῦρον τεθνηκότα αἰδεσθείς, τιμώμενος μάλιστα ὑπὸ Κύρου ζῶντος νῦν πρὸς τοὺς ἐκείνου ἐχθίστους ἀποστὰς ἡμᾶς τοὺς Κύρου φίλους κακῶς ποιεῖν πειρᾶται. Cogitationes καὶ ἐδώκαμεν καὶ ἐλάβομεν πιστά κτλ. ad sententiam relativam adiunctae pronominibus carent, quibus referantur ad priora verba. Sed facillime concinnus contextus restituitur, si inserimus et ante ἐδώκαμεν pronomen ᾧ et ante ἐλάβομεν voculas παρ' οὗ vel illic αὐτῷ, hic παρ' αὐτοῦ. Quid igitur? Nonne consilio Xenophontem hac scribendi ratione abstinuisse putandum est, cum non sit dubium, quin constructionem incommodam neque expeditam fuerit exhibiturus, si tria deinceps pronomina admisisset? Quomodo cum pronomen semel positum sit pronominaque omissa tamquam in se inclusa habeat, hanc scribendi proprietatem quodammodo comparare liceat cum zeugmatis figura, quae unum verbum, quod a sensus parte ad unum subiectum aut obiectum pertinet, cum duobus aut pluribus subiectis aut obiectis coniungit[1]).

Hoc exemplum ex Anabasi petitum lucem afferre potest loco in Oeconomico 4, 1 exstanti, quem vexaverunt viri critici certe iniuria: οὔτε γὰρ κτήσασθαι πασῶν τῶν τεχνῶν ἐργάτας ῥᾴδιον οἵους δεῖ, οὔτε ἔμπειρον γενέσθαι αὐτῶν οἷόν τε,

---

[1]) Cf. Kühner-Gerth II³ 2, § 597, 2, q, p. 570 s. Exempli causa proferre liceat Hom. M 319: ἔδουσί τε πίονα μῆλα οἶνόν τ' ἔξαιτον.

ἀλλ' αἳ δοκοῦσι κάλλισται τῶν ἐπιστημῶν καὶ ἐμοὶ πρέποι ἂν μάλιστα ἐπιμελομένῳ, ταύτας μοι καὶ αὐτὰς ἐπιδείκνυε κτλ. Pronomen relativum alteri membro non adiungitur, potest autem facile cogitatione suppleri. Huius usus viri docti Heindorfius et Hartmanus [1]) immemores erant, cum ille post *καί* ante *ἐμοί* pronomen *ὧν*, hic pronomen *αὐτῶν* post *ἐπιμελομένῳ* inserendum esse censeret [2]).

Cognoscimus igitur ex hac altera specie transitum fieri ad liberum verborum contextum neque pronomen relativum alteri sententiae adiungi forma pronominis *αὐτός* respondente: simul apparet pronomen relativum facile cogitatione posse suppleri [3]).

γ) Pronomen relativum in verbis sequentibus neque forma pronominis *αὐτός* respicitur neque cogitatione suppleri potest.

Postremo tertiam huius liberae constructionis speciem excutiamus, quam intellegimus ex his locis: Anab. IV 1, 8: *τὰ δὲ ἐπιτήδεια πολλὰ ἦν λαμβάνειν, ἦσαν δὲ καὶ χαλκώμασι παμπόλλοις κατεσκευασμέναι αἱ οἰκίαι, ὧν οὐδὲν ἔφερον οἱ Ἕλληνες, οὐδὲ τοὺς ἀνθρώπους ἐδίωκον, ὑποφειδόμενοι κτλ.* Anab. VI 5, 31: *νάπος γὰρ αὐτοὺς* (scil. *τοὺς πολεμίους ἱππέας*) *ὑπεδέχετο, ὃ οὐκ ᾔδεσαν οἱ Ἕλληνες, ἀλλὰ προαπετράποντο διώκοντες κτλ.* Cyr. IV 1, 15: *ὁρᾶτε μὴ πάθωμεν ἅπερ πολλοὺς μὲν λέγουσιν ἐν θαλάττῃ πεπονθέναι, διὰ τὸ εὐτυχεῖν οὐκ ἐθέλοντας παύεσθαι πλέοντας ἀπολέσθαι· πολλοὺς δὲ νίκης τυχόντας ἑτέρας ἐφιεμένους καὶ τὴν πρόσθεν ἀποβαλεῖν.* Hic optime perspicitur studium transeundi e constructione relativa ad liberam neque dependentem structuram verborum. Etenim enuntiato relativo adiungitur sententia prorsus libera, cui

---

[1]) Analecta Xenophontea, Lugduni Batavorum 1887, p. 195.

[2]) Huc referendi sunt etiam loci Anab. III 1, 17, Cyr. II 2, 10, qui membra per *μέν-δέ* opposita praebent.

[3]) Cum hoc scribendi usu convenit, quod Arrianus exhibet in Anab. VI 9, 3: *Ἀλέξανδρος δὲ . . . ἁρπάσας κλίμακα ἑνὸς τῶν φερόντων προσέθηκε τῷ τείχει αὐτὸς καὶ εἰληθεὶς ὑπὸ τῇ ἀσπίδι ἀνέβαινεν· ἐπὶ δὲ αὐτῷ Πευκέστας ὁ τὴν ἱερὰν ἀσπίδα φέρων, ἣν ἐκ τοῦ νεὼ τῆς Ἀθηνᾶς τῆς Ἰλιάδος λαβὼν ἅμα οἷ εἶχεν Ἀλέξανδρος καὶ πρὸ αὐτοῦ* [pro *καὶ ἣ πρὸ αὐτοῦ*] *ἐφέρετο ἐν ταῖς μάχαις.*

cum illo enuntiato nil nisi subiectum commune est. Qua in re interesse aliquid videtur inter nostram linguam atque Graecorum consuetudinem; nos enim structuram relativam incohatam continuamus, id quod verbo finito in fine alterius membri sententiae collocato demonstratur — velut locum Anab. VI 5, 31 hunc in modum transferimus in Germanicum: «Denn eine waldige Talschlucht erwartete sie, was die Griechen nicht wußten, vielmehr sich von der Verfolgung zuvor abwandten[1])» —, in more autem Xenophontis atque etiam aliorum scriptorum Graecorum videtur esse[2]), ut evitent notam relativam per complures sententias continuatam, qua structuram coeptam semper respicere cogantur[3]). Sed haud scio an etiam in exemplis Xenophonteis vim pronominis relativi ad alteram enuntiationis partem pertinere concedendum sit, ut nostram linguam a lingua Graeca tantum differre negemus[4]).

Huius tertiae speciei proprium hoc est: laxe tantum inter se conexae sunt enuntiatio relativa et sententia adiuncta, cum pronomen relativum ad alterum enuntiatum neque forma pronominis *αὐτός* concinna addatur neque ipsa cogitatione possit suppleri. —

Itaque in omnibus exemplis, quae ad hoc alterum anacoluthiae genus pertinent (inde a p. 29 pertractata sunt), enuntiatio quaedam, quae ex initio verborum comprehensionis in formam dependentem redacta exspectatur, solvitur structura concinna atque transit ad liberam speciem grammaticam, quod autem ad sensum attinet, arte cohaeret cum verbis praecedentibus neque ab illis seiungenda est. Hae mutationes non nihil faciunt ad perspicuitatem atque vim sermonis augendam; nam saepe scriptor,

---

[1]) Cf. Xenophons Anabasis erklärt von C. Rehdantz und O. Carnuth, 2. Band[6], bes. v. W. Nitsche, Berlin 1905, p. 161.

[2]) Cf. Kühner-Gerth II[3] 2, § 561, p. 432 s.

[3]) Cf. Xenophons Anabasis erklärt von C. Rehdantz, 2. Band, Berlin 1864, p. 149.

[4]) Cf. F. Hartmann, Deutsche Lit.-Zeit., N. F., 1. Jahrg., 1924, 1182: «Wie verhält sich . . . das Griechische? Ich glaube nicht, daß man eine einfache Antwort geben kann; gewiß sind Fälle der Rückkehr zum Hauptsatz anzuerkennen; vielleicht bilden sie die große Mehrzahl; aber auch für die Fortführung der Unterordnung trotz des Eintretens der Hauptsatzkonstruktion scheinen manche Beispiele zu sprechen».

si eandem structuram per complures sententias continuasset, incommodum quoddam iis, qui legunt, exhibuisset; simul concinnitate turbata Xenophon imitatur sermonem simplicem, quo in imitando ob ipsam simplicitatem ars adhibita bene obtegitur.

3. In enuntiationibus e verbo sentiendi et declarandi dependentibus infinitivus post particulam *ὡς* (*ὅτι*) ponitur pro verbo quodam finito.

a) Mutatio fit post sententiam interpositam.

Exempli causa affero Hell. III 4, 27: *τοῦτο δ' ἐποίησαν οἱ Λακεδαιμόνιοι τοιῷδε λογισμῷ, ὡς εἰ ὁ αὐτὸς ἀμφοτέρων ἄρχοι, τό τε πεζὸν πολὺ ἂν ἰσχυρότερον εἶναι, καθ' ἓν οὔσης τῆς ἰσχύος ἀμφοτέροις, τό τε ναυτικόν κτλ.* Hell. V 4, 35: *ὁ δὲ εἰπὼν* (scil. *ὁ Ἀγησίλαος*) *ὅτι οὐδὲν ἂν ὅ τι τῇ πόλει δοκοίη ἀντειπεῖν παρεσκευάζετο εἰς τὴν ἔξοδον*, ubi Dindorfius *ὅτι* post *εἰπών* delet et Hartmanus *ἔχοι* post *δοκοίη* inserit probante Ottone Keller. Sed anacoluthia mihi videtur statuenda esse, quae congruit cum his exemplis: Cyr. VIII 1, 25: *πρὸς δὲ τούτοις ἐλογίζετο ὡς* [delet Holdenus] *εἰ πάντες οἱ κοινῶνες θεοσεβεῖς εἶεν, ἧττον ἂν αὐτοὺς ἐθέλειν . . . ἀνόσιόν τι ποιεῖν κτλ.* Hell. II 2, 2: . . . *εἰδὼς* (scil. *ὁ Λύσανδρος*) *ὅτι ὅσῳ ἂν πλείους συλλεγῶσιν εἰς τὸ ἄστυ καὶ τὸν Πειραιᾶ, θᾶττον τῶν ἐπιτηδείων ἔνδειαν ἔσεσθαι.* Cyr. I 6, 18: *λέγεις σύ, ἔφη, ὦ πάτερ, ὡς ἐμοὶ δοκεῖ, ὅτι ὥσπερ οὐδὲ γεωργοῦ ἀργοῦ οὐδὲν ὄφελος, οὕτως οὐδὲ στρατηγοῦ ἀργοῦντος οὐδὲν ὄφελος εἶναι*, ubi codices haec exhibent: *ὥσπερ* (sine *ὅτι* praecedente) DF (= classis y Gemolliana), quam lectionem recipit Gemollius; *ὅτι ὡς* CE (= classis x Gemolliana); *ὅτιπερ ὡς* GHcorr. [*ὅτιπερ* Hpr.] (= classis z Gemoll.). *ὅτι ὥσπερ* Fischerus effecit (cf. Bornemannum ad hunc locum). Equidem lectionem *ὅτι ὥσπερ*, quam Fischerus dedit classes z et y, ut videtur, secutus, in textum recipiens consentio cum norma, quam statuit Axelus Persson, qui haec concludit de Cyropaediae textu constituendo[1]): «daß

---

[1]) l. c. p. 167 (cf. supra p. 32, 5; cf. etiam p. 31 s. ad Cyr. III 3, 67).

die x-Gruppe bei der Textkonstituierung zur Seite geschoben werden darf und daß ... neben der z-Gruppe auch der y-Gruppe konstituierender Wert beigemessen werden muß» [1]).

Proprium huius anacoluthiae est enuntiationem e verbo quodam sentiendi et declarandi dependentem incipere a particula ὡς (ὅτι), ut verbum quoddam finitum consequi debeat, deinde autem post sententiam interpositam constructionem infinitivo ad finem perduci. Quae mutatio valde sublevatur cogitatione interposita, post quam scriptor facile aberrare potuit ad infinitivi structuram [2]).

b) Nulla interposita sententia structura mutatur.

Etiam sine ulla enuntiatione inserta huiusmodi anacoluthia post verba sentiendi et declarandi invenitur. Hoc discimus ex Hell. VI 5, 42: *ἐλπίζειν δὲ χρὴ ὡς ἄνδρας ἀγαθοὺς μᾶλλον ἢ κακοὺς αὐτοὺς γενήσεσθαι,* ubi Cobetus et Dindorfius

---

[1]) Si deterioribus Anabasis codicibus tantum auctoritatis debemus attribuere, quantum assignat eis Axelus Persson — deteriores enim exhibere speciem textus, qui propius accedat ad genuina Xenophontis verba, ex Attici scriptoris commemoratione ab auctoribus insequentibus facta ille exponit (l. c. p. 163) —, fieri non potest, quin eximamus hunc locum (Anab. VI 1, 29) ex hoc anacoluthiae genere, cui annumeratur a Kruegero (Griechische Sprachlehre für Schulen, herausg. v. K. W. Krueger, 1. Teil, 2. Heft, 6. Aufl. bes. v. W. Pökel, Leipzig u. Würzburg 1891, § 55, 4, 10, p. 212): *νομίζω γὰρ ὅτι, ὅστις ἐν πολέμῳ ὢν στασιάζει πρὸς ἄρχοντα, [τοῦτον] πρὸς τὴν ἑαυτοῦ σωτηρίαν στασιάζει* (*ὅτι ὅστις* det., *τοῦτον* omittunt det., *στασιάζοι* [-*ει*] det.; *ὅτι* codd. CBAE, quos duces semper sequitur Gemollius, omittunt atque *στασιάζειν* exhibent). Quo cum loco congruit lectio deteriorum codicum et in Anab. III 1, 9: *προθυμουμένου δὲ τοῦ Προξένου καὶ ὁ Κῦρος συμπρουθυμεῖτο μεῖναι αὐτόν, εἶπε δὲ ὅτι, ἐπειδὰν τάχιστα ἡ στρατεία λήξῃ, εὐθὺς ἀποπέμψει αὐτόν* (*ἀποπέμψει* det., C; *ἀποπέμψειν* B; *ἀποπέμπειν* A) et in Anab. VII 5, 8: *καὶ τέως μὲν αἰεὶ ἐμέμνητο ὡς, ἐπειδὰν ἐπὶ θάλατταν ἀπέλθῃ, παραδώσει αὐτῷ Βισάνθην κτλ.* (deteriores duplicem praebent lectionem: *παραδώσω* DFIKL [quae lectio huic loco non convenit] et *παραδώσοι* H [*παραδώσει* ceteri deteriores]; *παραδώσειν* CBAE).

[2]) Eodem spectat, quod Arrianus scribit in Anab. V 14, 2: *γνώμην δὲ ἐπεποίητο, ὡς εἰ μὲν προσμίξειαν αὐτῷ οἱ ἀμφὶ τὸν Πῶρον ξὺν τῇ δυνάμει ἁπάσῃ, ἢ κρατήσειν αὐτῶν οὐ χαλεπῶς τῇ ἵππῳ προσβαλὼν ἢ ἀπομαχεῖσθαί γε ἔστε κτλ.*

iniuria voculam *ὡς* delent, et ex Cyr. II 4, 15: *ἀκούω γὰρ ὅτι καὶ συνθηρευτάς σοι τῶν παίδων τινὰς γενέσθαι,* ubi codicum classibus x et z lectio *γὰρ ὅτι καί* confirmatur, quam Gemollius tertiam classem y secutus neglegit; sed recipiendam esse censeo particulam *ὅτι*, cum veri similius sit lectionem illa vocula carentem quam additam illam vocem librariis deberi.

Haec scribendi ratio — dico structurae mutationem nulla interiecta enuntiatione — occurrit in prosa oratione apud Xenophontem demum, quod sciam[1]); proprium igitur hunc usum Xenophontis dicere licet[2]).

4. Enuntiatio, quae ad liberam structuram redigi debuit, constructionis forma dependente profertur.

Aliam quoque anacoluthiam ab aliis scriptoribus, imprimis a Platone usurpatam exemplis quibusdam e Xenophonte petitis illustrare licet. Legitur in Anab. VI 4, 18: *ἀναστάς τις εἶπεν· Καὶ εἰκότως ἄρα ἡμῖν οὐ γίγνεται τὰ ἱερά· ὡς γὰρ ἐγὼ ἀπὸ τοῦ αὐτομάτου χθὲς ἥκοντος πλοίου ἤκουσά τινος, ὅτι Κλέανδρος ἐκ Βυζαντίου ἁρμοστὴς μέλλει ἥξειν πλοῖα καὶ τριήρεις ἔχων.* Graviter offendit haec anacoluthia viros doctos; delevit enim iam Stephanus particulam *ὅτι* quamquam omnibus in codicibus exstantem atque etiam editores recentiores, dico Marchantium et Gemollium, hanc scribendi rationem neglexerunt, cum alter Stephano assentiretur (in edit. Oxon. anni 1904), alter coniectura *ὅ γε* pro *ὅτι* proposita loco mederi conaretur

---

1) Cf. Luisa Reinhard l. c. p. 130.

2) Paucis verbis mentionem faciam idiomatis huic generi similis; occurrit enim et in Xenophontis et in Arriani scriptis, ut enuntiatio secundaria, quae incipit a particula *ἐπεί* (*ὡς*), in orationis obliquae contextu infinitivi constructione ad finem perducatur. Exempli causa affero Xen. Anab. V 7, 18, ubi Xenophon in oratione ad milites habita verba alterius personae obliqua reddit oratione: *ἐπεὶ δ' ἡμᾶς οὐ κατέλαβον, πρὸς τοὺς Κερασουντίους ἔλεγον ὅτι θαυμάζοιεν τί ἡμῖν δόξειεν ἐλθεῖν ἐπ' αὐτούς. ἐπεὶ μέντοι σφεῖς* (scil. *οἱ Κερασούντιοι*) *λέγειν, ἔφασαν* (scil. *οἱ Κερασούντιοι*), *ὅτι οὐκ ἀπὸ κοινοῦ γένοιτο τὸ πρᾶγμα, ἥδεσθαί τε αὐτοὺς κτλ.* Ceterum cf Kühner-Gerth II³ 2, § 594, p. 551 et Guilelmus Nitsche ad hunc locum (l. c. [supra p. 49, 1] p. 114). Exempla Arrianea collegit atque comparavit cum locis Herodoteis Grundmannus l. c. p. 50.

(in edit. mai. bibl. Teubn. anni 1909), certe iniuria; nam defenditur hoc idioma nonnullis aliis exemplis cum Xenophonteis tum Platonicis[1]).

Proprium huius usus dicendi est enuntiationem, quae ad liberam structuram redigi debuit, constructionis forma dependente in medium proferri.

Copiose de hac proprietate, quae vulgo confusio duarum constructionum appellatur[2]), disputavit Ioannes Kvíčala[3]), qui ex ellipsi verborum *τοῦτό ἐστιν* vel potius simplicis verbi *ἐστίν* hanc loquendi rationem explicat. Velut locum Plat. Lys. 204 D: *καὶ ὅ ἐστι τούτων δεινότερον, ὅτι καὶ ᾄδει εἰς τὰ παιδικὰ φωνῇ θαυμασίᾳ* hunc in modum ille interpretatur[4]): «*καὶ ὅ ἐστι τούτων δεινότερον, ὅτι καὶ ᾄδει* = *καὶ ὅ ἐστι τούτων δεινότερον* (der ganze Relativsatz bildet das Prädicat des Satzgefüges) *τοῦτό* (Subject des Satzgefüges) *ἐστιν* (Copula), *ὅτι καὶ ᾄδει* (Epexegese von *τοῦτο*)» atque paulum se corrigens addit: «Indessen kann man vielleicht noch richtiger sagen, daß nur die Ellipse der Copula *ἐστί* anzunehmen ist, so daß also Plat. Lysis 204 D der mit *ὅτι* eingeleitete Satz *ὅτι καὶ ᾄδει* geradezu das Subject (nicht eine Epexegese eines zu ergänzenden *τοῦτο*) zu dem die Stelle des Prädicats vertretenden Relativsatze *ὅ ἐστι τούτων δεινότερον* bildet, wobei die Copula ausgelassen ist». Hanc explicationem transfert ille in locum Xen. Anab. VI 4, 18, quem, ut loco Platonico conveniat, hunc in modum expressum sibi fingit: *ὃ ἐγὼ ἤκουσά τινος, ὅτι Κλέανδρος μέλλει ἥξειν* atque ita cogitatione supplet: *ὃ ἐγὼ ἤκουσά τινος, τοῦτό ἐστιν, ὅτι Κλέανδρος μέλλει ἥξειν.*

---

[1]) Platonis locos Luisa Reinhard l. c. p. 6—33 sagacissime exposuit atque a virorum criticorum suspicionibus, si quae erant natae, tutata est.

[2]) Cf. Erfurdt-Hermann ad Soph. Antig. 736; L. Reinhard l. c. p. 13: «Stallbaum erklärte den Satz (agitur de Plat. Cratyl. 384 C: *ὅτι δὲ οὔ φησί σοι Ἑρμογένη ὄνομα εἶναι τῇ ἀληθείᾳ, ὥσπερ ὑποπτεύω αὐτὸν σκώπτειν*) als Kontamination aus *ὥσπερ ὑποπτεύω, σκώπτει* und *ὑποπτεύω αὐτὸν σκώπτειν*»; Hertlein ad Cyr. III 3, 19; I. Kvíčala (vide adnot. 3).

[3]) Symbola philologorum Bonnensium in honorem Friderici Ritschelii collecta, Lipsiae 1864—1867, p. 656 ss.

[4]) l. c. p. 658.

Sed haec interpretatio grammatica etsi ad eos locos, a quibus ille proficiscitur (Plat. Lys. 204 D; Rep. 491 B: *ὃ μὲν πάντων θαυμαστότατον ἀκοῦσαι, ὅτι ἓν ἕκαστον ὧν ἐπῃνέσαμεν τῆς φύσεως ἀπόλλυσι τὴν ἔχουσαν ψυχὴν κτλ.*), bene potest adhiberi, tamen, si ad exemplum Xenophonteum transimus, haud scio an nobis sit improbanda, cum verba *ὡς γὰρ ἐγὼ ἤκουσα* immutare parisque esse momenti atque *ὃ γὰρ ἐγὼ ἤκουσα* profiteri ille cogatur, ut ad normam suam quadrent. Neque vero illud *ἐστί*, quod interponendum esse censet, semper cogitatione suppleri potest, exempli causa loco Anab. VI 4, 18 et in Cyr. III 3, 19: *πολὺ γὰρ μᾶλλον, ὃ καὶ ὁ πατὴρ ἀεὶ λέγει καὶ σὺ φῂς καὶ οἱ ἄλλοι δὲ πάντες ὁμολογοῦσιν, ὡς αἱ μάχαι κρίνονται μᾶλλον ταῖς ψυχαῖς ἢ ταῖς τῶν σωμάτων ῥώμαις* (infra p. 54 s.) atque etiam in Plat. Cratyl. 384 C (supra p. 53, 2)[1]. Illam igitur explicationem grammaticam nihil nobis prodesse apparet.

Equidem rationem a Luisa Reinhard adhibitam atque etiam ab Udalrico de Wilamowitz prolatam[2]) secutus anacoluthiam loci Anab. VI 4, 18: *ὡς γὰρ ἐγὼ . . . ἤκουσά τινος, ὅτι Κλέανδρος . . . μέλλει ἥξειν* . . . hunc in modum interpretor: is, qui hic verba facit, Cleandrum praefectum cum navibus adventurum esse in animo habet dicere, id quod meminit iam heri se audire (*ὡς γὰρ ἐγὼ . . . χθὲς . . . ἤκουσα*); sed dum loquitur, recordanti ei, quod prius audivit, dilucide ante oculos versatur atque animum ita occupat, ut tempus praeteritum tota mente repetat neque quicquam aliud cogitet nisi illud tempus, quo nuntium audivit. Ita illa notio audiendi multum ponderis adepta verba insequentia sibi adiungit atque efficit, ut ad formam dependentem redigantur.

Eodem modo explicandus est locus Cyr. III 3, 19: *πολὺ γὰρ μᾶλλον, ὃ* (addit *ὅ* Hertleinius Popponem secutus) *καὶ ὁ πατὴρ ἀεὶ λέγει καὶ σὺ φῂς καὶ οἱ ἄλλοι δὲ πάντες ὁμολογοῦσιν ὡς αἱ μάχαι κρίνονται μᾶλλον ταῖς ψυχαῖς ἢ ταῖς τῶν σωμάτων ῥώμαις*[3]). Cogitatio, quam Cyrus ex-

---

[1]) Cf. L. Reinhard l. c. p. 13 adnot.

[2]) Platon II p. 416 ss.

[3]) Codices HAG verba *πολὺ ἂν μᾶλλον* coniuncta exhibent cum antecedentibus verbis *καίτοι, ἔφη, εἴ τι ἐκείνους μὲν φοβερωτέρους ποιήσομεν, ἡμᾶς δ' αὐτοὺς θαρραλεωτέρους, πολὺ τοῦτο ἡμῖν ἐγὼ*

primere parat, haec est: pugnae multo magis animis militum et ducum decernuntur quam corporum viribus. Itaque primo *πολὺ γὰρ μᾶλλον αἱ μάχαι κρίνονται ταῖς ψυχαῖς ἢ ταῖς τῶν σωμάτων ῥώμαις* pronuntiare animo intendit. Sed cum hanc sententiam proferre incipiat, idem etiam Cambysem patrem et Cyaxarem sentire ceterosque omnes concedere meminit. Hoc exprimit enuntiatione interposita, quae eum inter loquendum a tempore praesenti ad sermones praeteritos deducit atque efficit ut gravem illam cogitationem *αἱ μάχαι κρίνονται κτλ.* ad tempus praeteritum referens forma non iam libera *ὡς αἱ μάχαι κρίνονται κτλ.* reddat[1]).

Ad locos Plat. Lys. 204 D (supra p. 53) et Rep. 491 B (supra p. 54) bene quadrat exemplum Xen. Mem. II 6, 17: *Ὃ ταράττει σε, ὦ Κριτόβουλε, ὅτι πολλάκις ἄνδρας καὶ καλὰ πράττοντας, καὶ τῶν αἰσχρῶν ἀπεχομένους ὁρᾷς ἀντὶ τοῦ φίλους εἶναι*

πλεονέκτημα νομίζω, καὶ τὸν κίνδυνον οὕτως ἡμῖν μὲν ἐλάττω λογίζομαι, τοῖς δὲ πολεμίοις μείζω [*πολὺ ἂν μᾶλλον*], id quod a sensu alienum est; neque enim particula *ἄν* ad priora potest referri, sed ab altera lectione *πολὺ γὰρ μᾶλλον* nova sententia incipit. Pronomen *ὅ* in codicibus non exstans haud scio an illa falsa interpunctione sit omissum. Pro *ὅ* Hartmanus *ὡς* probante Gemollio inserit et alterum *ὡς* ante *αἱ μάχαι* delet.

[1]) Plane congruit cum hoc loco exemplum Plat. Phaedr. 272 D: *παντάπασι γαρ, ὃ καὶ κατ' ἀρχὰς εἴπομεν τοῦδε τοῦ λόγου, ὅτι οὐδὲν ἀληθείας μετέχειν δέοι δικαίων ἢ ἀγαθῶν πέρι πραγμάτων, ἢ καὶ ἀνθρώπων γε τοιούτων φύσει ὄντων ἢ τροφῇ, τὸν μέλλοντα ἱκανῶς ῥητορικὸν ἔσεσθαι* (cf. Reinhard l. c. p. 10; Wilamowitz, Platon II p. 420: «Da war zuerst intendiert *παντάπασιν οὐδὲν ἀληθείας μετέχει ὁ μέλλων*; das ist durch den Zwischentritt von *εἴπομεν* abhängig geworden, so daß *παντάπασι γάρ* in der Luft schwebt»). — Locum Hell. II 4, 27: *εἰ δὲ καὶ τοῦτο δεῖ εἰπεῖν τοῦ μηχανοποιοῦ τοῦ ἐν τῷ ἄστει, ὃς ἐπεὶ ἔγνω ὅτι κατὰ τὸν ἐκ Λυκείου δρόμον μέλλοιεν τὰς μηχανὰς προσάγειν, τὰ ζεύγη ἐκέλευσε πάντα ἁμαξιαίους λίθους ἄγειν καὶ καταβάλλειν, ὅπου ἕκαστος βούλοιτο τοῦ δρόμου*, ubi, quae facta sunt ab eo, qui machinas aedificavit, narrantur, ab his exemplis et Xenophonteis et Platonicis plane separandum esse mihi persuasi. Multum enim differt eo, quod sententia secundaria *εἰ δὲ καὶ τοῦτο ... ἄστει* caret apodosi neque enuntiatum *ὅς ... ἐκέλευσε* constructionem inhibet, illic autem structurae mutatio subest, cum verbum aliquantum ponderis adeptum praeter opinionem insequentia ex se suspensa habeat.

στασιάζοντας ἀλλήλοις καὶ χαλεπώτερον χρωμένους τῶν μηδενὸς ἀξίων ἀνθρώπων. Primo Socrates haec est locuturus: *ὃ ταράττει σε· πολλάκις ἄνδρας ... ὁρᾷς ἀντὶ τοῦ φίλους εἶναι στασιάζοντας ἀλλήλοις κτλ.*[1]); deinde autem, dum loquitur, gravi cogitatione stuporis ita animus occupatur, ut liberam enuntiationem *ταράττει σε* se posuisse putet atque ex illa verba sequentia suspensa faciat. —

Huic anacoluthiae generi occurrimus iam in Herodoti historia[2]), qui post enuntiationem *ὡς λέγεται, ὡς λέγουσιν* accusativum cum infinitivo coniunctum pro libera constructionis forma nonnumquam exhibet: III 14: *ὡς δὲ λέγεται ὑπ' Αἰγυπτίων, δακρύειν μὲν Κροῖσον ..., δακρύειν δὲ Περσέων τοὺς παρεόντας ...* IV 5: *ὡς δὲ Σκύθαι λέγουσι, νεώτατον ἁπάντων ἐθνέων εἶναι τὸ σφέτερον.* Quam proprietatem Herodoteam frustra apud Xenophontem quaerimus, nisi forte Godofredum Bernhardy secuti[3]) huc referimus locum Hell. V 3, 7: *ἐκ μέντοι γε τῶν τοιούτων παθῶν ὡς ἐγώ φημι ἀνθρώπους παιδεύεσθαι μάλιστα μὲν οὖν οὐδ' οἰκέτας χρὴ ὀργῇ κολάζειν.* Sic traditum est in omnibus codicibus; sed vocula *ὡς* servata molesta sunt sequentia verba *μάλιστα μὲν οὖν οὐδ' οἰκέτας χρὴ ὀργῇ κολάζειν*, quae verbum finitum *χρή* continent, pro quo infinitivum e verbo *παιδεύεσθαι* pendentem exspectamus. Qua re assentiri malo Stephani mutationi, qui *ὡς* ante *ἐγώ* delevit atque transposuit post *μὲν οὖν*. Arrianum vero illam proprietatem Herodoteam adhibuisse apparet ex Anab. IV 9, 8: *ταῦτα εἰπόντα* (scil. *τὸν Ἀνάξαρχον*) *παραμυθήσασθαι μὲν Ἀλέξανδρον ἐν τῷ τότε* (scil. *εἰσὶν οἳ λέγουσι*), *κακὸν δὲ μέγα, ὡς ἐγώ φημι, ἐξεργάσασθαι Ἀλεξάνδρῳ* ..., quod exemplum exhibet Grundmannus (p. 50). —

Haec ratio scribendi, quippe quae ex Herodoti consuetudine ortum duxerit, ad illam simplicitatem certe referenda est, cuius specimen ille pater historiae et Xenophonti et Arriano praebuit[4]). Ac profecto Arrianum

---

[1]) Cf. simile exemplum e Luciano petitum (vitarum auctio c. 25): *ὃ δὲ μέγιστον, ἢν ἐθέλω, τάχιστά σε ἀποδείξω λίθον.*

[2]) Cf. G. Bernhardy, l. c. p. 464.

[3]) l. c. p. 464.

[4]) Cf. supra p. 42.

Herodotum imitatum esse illo exemplo Anab. IV 9, 8 aliqua ex parte confirmatur. Atque etiam Xenophontem ex usu Herodoteo dependere apparet, etsi non prorsus se applicavit ad illum, sed propriam quandam viam ingressus huius anacoluthiae eam speciem usurpavit, quae vel maxime consentit cum Platonico genere dicendi.

Ex hoc quoque anacoluthiae genere cognoscitur studium popularis sermonis imitandi; verba enim ita redduntur, ut maxime simplici atque naturali dictioni convenit.

5. De anacoluthia quae dicitur rhetorica.

Restat, ut nonnulla verba faciam de anacoluthiae genere, quod nomine «rhetoricae anacoluthiae» appellare liceat[1]).

Huius idiomatis nonnulla exempla excutiam, priusquam quid sit illius proprium demonstrem. Praemittam duos locos, qui substantivum ex sententia secundaria solutum exhibent atque id eodem casu, qui in enuntiatione secundaria exspectatur: Hier. 6, 15: *ὥσπερ γε καὶ ἵππος εἰ ἀγαθὸς μὲν εἴη, φοβερὸς δὲ μὴ ἀνήκεστόν τι ποιήσῃ, χαλεπῶς μὲν ἄν τις αὐτὸν ἀποκτείναι διὰ τὴν ἀρετήν, χαλεπῶς δὲ ζῶντι χρῷτο κτλ.* Hier. 4, 6: *ἀλλ' ὥσπερ οἱ ἀθληταὶ οὐχ ὅταν ἰδιωτῶν γένωνται κρείττονες, τοῦτ' αὐτοὺς εὐφραίνει, ἀλλ' ὅταν τῶν ἀνταγωνιστῶν ἥττους, τοῦτ' αὐτοὺς ἀνιᾷ, οὕτω καὶ ὁ τύραννος κτλ.* In tertio exemplo Oec. 1, 14: *οἱ δὲ φίλοι, ἥν τις ἐπίστηται αὐτοῖς χρῆσθαι ὥστε ὠφελεῖσθαι ἀπ' αὐτῶν, τί φήσομεν αὐτοὺς εἶναι;* casus substantivi praepositi enuntiationi secundariae non convenit. Denique quarto loco Oec. 12, 8: *οὐχ ὁρᾷς ὅτι καὶ ἑαυτοῖς εὖνοι πάντες ὄντες ὡς εἰπεῖν ἄνθρωποι, πολλοὶ αὐτῶν εἰσὶν οἳ οὐκ ἐθέλουσιν ἐπιμελεῖσθαι ὅπως αὐτοῖς ἔσται ταῦτα ἃ βούλονται εἶναί σφισι τὰ ἀγαθά;* cum verba *πάντες ἄνθρωποι* insequentibus verbis *πολλοὶ αὐτῶν* restringantur, constructionis mutatio necessaria est.

---

[1]) Cf. Kühner-Gerth II³ 1, § 356, 6, p. 47: «Dasjenige Wort, welches an Bedeutsamkeit die übrigen Glieder des Satzes überwiegt, wird zuweilen mit rhetorischem Nachdrucke . . . an die Spitze des Satzes gestellt».

Gravis quaedam notio in capite sententiae posita, ut statim gravissima esse intellegatur, nominativo profertur, quamquam verborum insequentium structura casum obliquum flagitat; deinde in continuatione sententiae illa cogitatio excipiatur necesse est pronomine *αὐτός*, quandoquidem structura, quam incohavit scriptor, non iam convenit verbis insequentibus. Quae cum ita sint, similitudo quaedam est huic proprietati cum illa specie, quae pronomen relativum forma pronominis *αὐτός* repeti significat[1]), sed differt alterum idioma ab altero ea re, quod illic pronomen non necessario additum abesse potuit, ut ex exemplis p. 47 s. allatis apparet, cum hic structura immutata adiectum illud pronomen postulet.

Aeque ad hanc anacoluthiam spectat, quod interdum gravis illa notio in capite enuntiati collocata, etsi non nominativo, sed casu quodam obliquo redditur, tamen pronomine *αὐτός* excipitur. Attendamus animum ad locum de rep. Lac. 4, 7: *τοῖς γε μὴν τὴν ἡβητικὴν ἡλικίαν πεπερακόσιν, ἐξ ὧν ἤδη καὶ αἱ μέγισται ἀρχαὶ καθίστανται, οἱ μὲν ἄλλοι Ἕλληνες ἀφελόντες αὐτῶν τὸ ἰσχύος ἔτι ἐπιμελεῖσθαι στρατεύεσθαι ὅμως αὐτοῖς ἐπιτάττουσιν, ὁ δὲ Λυκοῦργος κτλ.*

Notabile exemplum, quod summam habet difficultatem neque potest explicari, legitur in Cyr. II 3, 4: *καὶ ὁ θεὸς οὕτω πως ἐποίησε· τοὺς μὴ θέλοντας ἑαυτοῖς προστάττειν ἐκπονεῖν τἀγαθὰ ἄλλους αὐτοῖς ἐπιτακτῆρας δίδωσι,* ubi codices AGH (= classis z) exhibent verba *τοὺς μὴ θέλοντας*, ceteri *τοῖς μὴ θέλουσιν*, quibus Gemollius et Marchantius assentiuntur. Equidem dissentiens ab his viris lectionem difficiliorem classis z sequor, cum anacoluthiam in ceteris codicibus sublatam esse veri similius sit quam huc illatam. Haud aliter in eisdem codicibus AGH anacoluthiam quandam, quae in ceteris magna ex parte prorsus deest, offerri apparet ex Cyr. III 3, 67 (cf. supra p. 31 s.) et I 6, 18 (cf. supra p. 50).[2]) Attamen ut defendatur molesta

---

[1]) Cf. supra p. 45 ss.

[2]) Adde etiam Cyr. II 1, 15: *ἔξεστι δ' ὑμῖν, εἰ βούλεσθε, λαβόντας ὅπλα οἷάπερ ἡμεῖς ἔχομεν εἰς τὸν αὐτὸν ἡμῖν κίνδυνον ἐμβαίνειν* [*λαβόντας* CEAGH; *λαβοῦσιν* cet., Gemollius]. Neque vero quicquam hoc loco comprobatur, quia hanc proprietatem loquendi nec Xenophonti

anacoluthia loci Cyr. II 3, 4, fulciatur necesse est aliis exemplis Xenophonteis, quae variam codicum lectionem non exhibeant. Neque vero mihi contigit, ut persimilem locum Xenophonteum indagarem.

Haec scribendi ratio cum in Xenophontis scriptis tum in dialogis Platonis invenitur et profecto bene explicatur ex utriusque studio sermonis cotidiani imitandi. Imprimis id notabile videtur mihi esse, quod maxime in dialogis, quos scripsit Xenophon, huiusmodi structura occurrit; in hoc enim operum genere facillime ille dictionem ad popularem naturalemque usum loquendi accommodare potuit.

Huc pertinent verba, quae leguntur apud Kühnerum et Gerthium[1]) quaeque hoc loco afferre liceat (hi viri docti anacolutha in tria genera dividentes tertium ita explicant): «Eine dritte Klasse bilden diejenigen Schriftsteller, bei welchen die Anakoluthe nicht aus Nachlässigkeit, nicht aus dem Streben nach Kürze, noch aus dem Zusammendrängen der Gedanken entstanden sind, sondern aus dem bewußten Streben entspringen, der Darstellung eine größere Klarheit, Anschaulichkeit, Leichtigkeit und eine gewisse Annäherung an die kunstlose, sich leicht bewegende Redeweise des gewöhnlichen Lebens zu geben. Zu dieser Klasse rechnen wir die dialogischen Schriften». —

Artem igitur, quae in sermone simplici et cotidiano imitando posita est, in anacoluthis a Xenophonte esse adhibitam dicimus.

B. De verborum ubertate, quam «repetitionem» dico.

I. Universe dicitur de repetitione.

In omnibus Xenophontis operibus et singula verba et enuntiata repeti solere neque id solum, cum necessaria est vocabulorum repetitio, sed vel maxime tum, cum iteratione, quia

---

(cf. exempli causa Anab. I 2, 1; 3, 5; II 1, 19; III 1, 5; 2, 1; 2, 26; 2, 36; IV 1, 12; 3, 29; V 2, 12; 6, 1; VI 6, 30; 6, 38; Hell. I 6, 37; Cyr. II 4, 2; III 3, 14; V 4, 20; VII 4, 11; Mem. II 6, 26; de vect. 3, 1; 6, 2; Hipparch. 4, 12; Hier. 2, 8; de rep. Lac. 5, 7) neque aliis scriptoribus (cf. Krüger l. c. § 55, 2, 7) inusitatam ad anacoluthiam non refero.

[1]) l. c. II³ 2, § 602, 6, p. 590.

levioris est momenti, optime carere possumus, neminem esse puto, quin in legendis scriptis Xenophonteis animadverterit.

Huic rei magna ex parte tribuendum esse mihi videtur, quod non desunt, qui male, ne dicam acerbissime de Xenophontis sermone iudicent eumque ut longiorem atque remissiorem in scribendo parvi faciant[1]). Iam ex iudicio Dionysii supra allato[2]) — cf. imprimis haec verba: *μακρότερος γὰρ γίνεται τοῦ δέοντος ἐν πολλοῖς*[3]) — haec proprietas facile concluditur; crimini enim ille dat Xenophonti, quod convenientis generis dicendi multis ex partibus rationem non habeat longiorque sit in expositione atque dictione. Concedamus sane illis, quod Xenophonti vitio vertunt, tamen neque totus damnandus est neque vis ei afferenda. Multi enim viri critici vocabula repetita, quae supervacanea esse viderentur, aut omnino textu eiecerunt aut, si tam vehementer locos molestos vexare noluerunt, aliis synonymis vocibus mutaverunt.

Imprimis duo viri Batavi, C. G. Cobetus et J. J. Hartmanus, multi fuerunt in hoc remedio adhibendo atque grandes libros impleverunt de emendandis locis Xenophonteis in suspicionem vocatis[4]). Quam ad rationem demonstrandam duos locos afferre liceat, cum paginae operum Xenophonteorum scateant horum iniuriis: Anab. III 1, 12: *καὶ τὸ ὄναρ τῇ μὲν ἔκρινεν ἀγαθόν, ὅτι ἐν πόνοις ὢν καὶ κινδύνοις φῶς μέγα ἐκ Διὸς ἰδεῖν*

[1]) Cf. quae iudicat de Xenophonte Rutherford, The new Phrynichus, London 1881, p. 160 s.: «... not only the diction, but the style as a whole lacks the masculine simplicity and manly self-restraint which marks all genuine Attic work, and has many of the characteristics of the feminine Ionic ... He is wanting in dignity, loquacious, superficial, and indifferent to all that differentiates a good style from a bad»; cf. Léopold Gautier, La langue de Xénophon (Thèse présentée à la faculté des lettres et des sciences sociales de l'université de Genève), Genève 1911, qui p. 16 Xenophontem, «qui sans doute ne se relisait et ne se corrigeait guère» (p. 16, 1), negat esse «écrivain artiste».

[2]) p. 1 s.

[3]) Quamquam ante haec verba aliquid excidisse veri simile est, quo praeparantur atque locum suum in contextu sententiarum obtinent (cf. editores Usenerum et Radermacherum ad hunc locum), tamen quae vis eorum sit, dubium esse non potest.

[4]) C. G. Cobet, Novae lectiones, Lugduni Batavorum 1858; J. J. Hartman, Analecta Xenophontea, Lugduni Batavorum 1887.

ἔδοξε· τῇ δὲ καὶ ἐφοβεῖτο, ὅτι ἀπὸ Διὸς μὲν βασιλέως τὸ ὄναρ ἐδόκει αὐτῷ εἶναι, κύκλῳ δὲ ἐδόκει λάμπεσθαι τὸ πῦρ, ubi prius ἐδόκει delet Cobetus, et Hier. 7, 13: ἀλλ' εἴπερ τῳ ἄλλῳ, ὦ Σιμωνίδη, λυσιτελεῖ ἀπάγξασθαι, ἴσθι, ἔφη, ὅτι τυράννῳ ἔγωγε εὑρίσκω μάλιστα τοῦτο λυσιτελοῦν ποιῆσαι. μόνῳ γὰρ αὐτῷ οὔτε ἔχειν οὔτε καταθέσθαι τὰ κακὰ λυσιτελεῖ, ubi Hartmanus ἔξεστι vel ἐγχωρεῖ proponit pro altero λυσιτελεῖ. Nunc, antequam singula repetitionis genera excutio, satis habeo, ut hanc offensionem tollam, lectores relegasse ad Cyr. VI 1, 12: ὅσοι τε γὰρ αὐτῶν ὅπλα ἀφῄρηνται, ταχὺ ἄλλα ποιήσονται· ὅσοι τε ἵππους ἀπεστέρηνται, ταχὺ πάλιν ἄλλους ἵππους κτήσονται et ad Anab. V 6, 1: καὶ ἐδόκει αὐτοῖς περὶ τῆς λοιπῆς πορείας παρακαλέσαντας τοὺς Σινωπέας βουλεύεσθαι. εἴτε γὰρ πεζῇ δέοι πορεύεσθαι, χρήσιμοι ἂν ἐδόκουν εἶναι οἱ Σινωπεῖς· ἔμπειροι γὰρ ἦσαν τῆς Παφλαγονίας· εἴτε κατὰ θάλατταν, προσδεῖν ἐδόκει Σινωπέων· μόνοι γὰρ ἂν ἐδόκουν ἱκανοὶ εἶναι πλοῖα παρασχεῖν ἀρκοῦντα τῇ στρατιᾷ. Hinc optime praesidium petitur ad omnium codicum lectionem in illis exemplis temptatis servandam.

II. Singillatim de praecipuis repetitionis generibus agitur[1]).

1. De repetitione verbi.

a) Verbum repetitur intra duo membra (duas enuntiationes aut enuntiationis partes), quae particulis quibusdam inter se coniuncta sunt.

α) Membra copulantur particulis copulativis *τε — καί, καί — καί*, simplici *καί*.

Aggrediamur nunc ad rem ipsam tractandam.

Ac primum quidem, quomodo verbum, quod proprie dicitur, repetatur exponam. E variis verbi iterati generibus perlustremus

---

[1]) Omitto illam figuram orationis, quae artem rhetoricam redolens nominatur a Latinis scriptoribus repetitio, a Graecis ἀναφορά vel ἐπαναφορά; distinguenda enim est, cum significanter dicatur repetitio, ab hac dicendi ratione, quae ex ubertate vel abundantia quadam verborum cognoscitur atque ad simplicitatem elocutionis est referenda.

initio quaestionis hoc, quo intra duo membra (duas enuntiationes aut enuntiationis partes), quae particulis quibusdam inter se coniuncta sunt, verbum atque saepissime verbum finitum bis ponitur. Initium nobis disserendi faciunt loci, qui particulis copulativis *τε-καί*, *καί-καί*, simplici *καί* membra alterum cum altero copulant: Anab. I 2, 18: *καὶ ἥ τε Κίλισσα ἔφυγεν ἐπὶ τῆς ἁρμαμάξης καὶ οἱ ἐκ τῆς ἀγορᾶς καταλιπόντες τὰ ὤνια ἔφυγον.* Cyr. II 4, 2: *καὶ τῷ δευτέρῳ ἐκέλευσε ταὐτὸ τοῦτο παραγγεῖλαι, καὶ διὰ πάντων οὕτω παραδιδόναι ἐκέλευσεν.* Mem. III 1, 4: *καὶ γάρ, ὥσπερ ὁ κιθαρίζειν μαθών, καὶ ἐὰν μὴ κιθαρίζῃ, κιθαριστής ἐστι, καὶ ὁ μαθὼν ἰᾶσθαι, κἂν μὴ ἰατρεύῃ, ὅμως ἰατρός ἐστιν, οὕτω καὶ κτλ.* Alia huiusmodi exempla vide Anab. I 4, 12; 7, 13; 10, 3; III 4, 15; IV 4, 21; VI 4, 15; VII 2, 12; Mem. III 2, 2; 6, 10; Oec. 17, 3; Hipparch. 3, 9 [1]).

Repetitur hic idem verbum, quamquam altero loco sine damno deesse potuit, simplicitate quadam elocutionis, quae ad epicam paene rationem accedit, quam agnoscimus, ut exemplo utar, ex Hom. ϑ 559 s.: *ἀλλ' αὐταὶ ἴσασι νοήματα καὶ φρένας ἀνδρῶν καὶ πάντων ἴσασι πόλιας καὶ πίονας ἀγροὺς ἀνθρώπων* et ω 11 s.: *πὰρ δ' ἴσαν Ὠκεανοῦ τε ῥοὰς καὶ Λευκάδα πέτρην, ἠδὲ παρ' Ἠελίοιο πύλας καὶ δῆμον ὀνείρων ἤισαν.*

Huius verborum abundantiae, quam in prosa oratione imprimis Herodotus [2]) adhibuit [3]), vestigia exsistunt cum apud alios scrip-

---

[1]) Neque disiungendum ab his exemplis esse puto locum Anab. I 1, 2: *ἀναβαίνει οὖν ὁ Κῦρος λαβὼν Τισσαφέρνην ὡς φίλον καὶ τῶν Ἑλλήνων ἔχων ὁπλίτας ἀνέβη τριακοσίους*, ubi Bisschopio *ἀνέβη* damnanti non assentior. Ceterum Dindorfius verbum omnibus in codicibus repetitum recepit in textum (Xenophontis Expeditio Cyri, Oxonii 1855, p. 2), a quo nunc iniuria digreditur Guilelmus Gemoll, cum illud uncis includit (cf. etiam Crönert, Berl. Phil. Wochenschrift 1912, 1113). Hoc exemplum ideo notabile est, quod minimo spatio intermisso tempus verbi finiti variatur (*ἀναβαίνει-ἀνέβη*) (cf. Anab. I 2, 20: *ἀποπέμπει-συνέπεμψεν* [p. 63]).

[2]) Cf. Grundmann l. c. p. 19 ss.

[3]) Cf. exempli causa I 146: *Μινύαι δὲ Ὀρχομένιοί σφι ἀναμεμίχαται καὶ Καδμεῖοι καὶ Δρύοπες καὶ Φωκέες ἀποδάσμιοι καὶ Μολοσσοὶ καὶ Ἀρκάδες Πελασγοὶ καὶ Δωριέες Ἐπιδαύριοι, ἄλλα τε ἔθνεα πολλὰ ἀναμεμίχαται.*

tores veteres[1]) tum apud Arrianum, alterum illum Xenophontem, quem multo magis quam Grundmannus demonstravit[2]) elocutionem Xenophonteam imitatum esse persuasum habeo; huc pertinent illius loci Anab. I 1, 13: *γυναῖκες δὲ ὅσαι ξυνείποντο αὐτοῖς ἑάλωσαν πᾶσαι, καὶ τὰ παιδάρια καὶ ἡ λεία πᾶσα ἑάλω*[3]). Anab. I 2, 3: *ἐς ταύτην δὲ τὴν νῆσον καὶ οἱ Θρᾷκες οἱ πρόσχωροι τοῖς Τριβαλλοῖς . . . συμπεφευγότες ἦσαν καὶ αὐτὸς ὁ Σύρμος ἐς ταύτην ξυμπεφεύγει ξὺν τοῖς ἀμφ' αὐτόν.* Anab. I 25, 9: *ταῦτά τε οὖν καὶ τὰ ἀπὸ τοῦ Πέρσου ξυνθεὶς πέμπει ὡς Παρμενίωνα Ἀμφοτερὸν τὸν Ἀλεξάνδρου μὲν παῖδα, ἀδελφὸν δὲ Κρατεροῦ. καὶ ξυμπέμπει αὐτῷ τῶν Περγαίων τινὰς τὴν ὁδὸν ἡγησομένους* (cf. Xen. Anab. I 2, 20: *ἐντεῦθεν Κῦρος τὴν Κίλισσαν εἰς τὴν Κιλικίαν ἀποπέμπει τὴν ταχίστην ὁδόν· καὶ συνέπεμψεν αὐτῇ [στρατιώτας] οὓς Μένων εἶχε καὶ αὐτόν*). Anab. III 24, 5: *ἀφῆκεν δὲ καὶ τῶν . . . Ἑλλήνων, ὅσοι . . . ἐμισθοφόρουν, καὶ Καλχηδονίων Ἡρακλείδην . . . ἀφῆκεν.*

Qui repetendi usus occurrit etiam in inscriptionibus Graecis tabulisque publicis atque etiam apud scriptores invenitur, qui aut foedera aut leges aut alia decreta memoriae produnt[4]); exempli causa affero hanc inscriptionem Ionicam[5]): *ὅσοι δὲ ἐγκατακοιμηθέντες θυσίην ἀποδιδῶσι τῷ Ἀσκληπιῷ καὶ τῷ Ἀπόλλωνι ἢ εὀξάμενοι θυσίην ἀποδιδῶσιν,* atque Thuc. V 77: *καττάδε δοκεῖ τᾷ ἐκκλησίᾳ τῶν Λακεδαιμονίων ξυμβαλέσθαι ποττὼς Ἀργείως, ἀποδιδόντας τὼς παῖδας τοῖς Ὀρχομενίοις καὶ τὼς ἄνδρας τοῖς Μαιναλίοις, καὶ τὼς ἄνδρας τὼς ἐν Μαντινείᾳ τοῖς Λακεδαιμονίοις ἀποδιδόντας.*

---

[1]) Cf. W. Bannier, Wiederholungen bei älteren griechischen und lateinischen Autoren, Rh. Mus. 69, 1914, 496 ss.; idem, Rh. Mus. 67 1912, 554; I. Vahlen, Opuscula acad. II 1908, p. 359, qui exempla quaedam ex Platonis scriptis congessit.

[2]) Cf. supra p. 40 s.

[3]) Cf. Xen. Anab. IV 4, 21: . . . *καὶ ἵπποι ἑάλωσαν εἰς εἴκοσι καὶ ἡ σκηνὴ ἡ Τιριβάζου ἑάλω κτλ.*

[4]) Hunc in usum inquisivit Guilelmus Bannier, Zur Stilistik der älteren griechischen Urkunden, Rh. Mus. 67, 1912, 515—555.

[5]) Cf. Wilamowitz, Nordionische Steine, Abhandl. d. Berl. Akad. d. Wiss., Phil.-hist. Klasse, 1909, Abh. 2, p. 38, 30 ss.

Atque etiam e papyris in Aegypto repertis haec ratio scribendi optime cognoscitur, id quod maxime notabile est, quia pertinet ad meam quam supra protuli sententiam[1]), qua Xenophontem specimen sermonis popularis atque cotidiani exhibere pronuntiavi; nam — id quod iam supra p. 13 monui — reliquiae papyraceae, quae quidem epistulas privatas contineant, cum magna ex parte mediam in populi vitam nos introducant, optime sermonem popularem atque cotidianum nos docent.

Huic primae repetitionis speciei a me distinctae conveniunt haec exempla e litteris privatis petita: Hibeh Pap. I nr. 59 (ca. a. 245 a. Chr. n.): *ὡς ἂν λάβηις τὴν ἐπιστολὴν ἀπόστειλον πρὸς ἡμᾶς μετὰ φυλακῆ[ς] τὴν παραδοθεῖσάν σοι ἔχουσαν τὸ κλέπιμον ἔλαιον καὶ τὸν παραδόντα σοι ἀπόστειλο[ν].* Oxyrh. Pap. II 1899, no. 294 (a. 22 p. Chr. n.): *καὶ ὁ ο[ἶκος . . .] Σεκόνδας ἠραύνηται κ[αὶ . . .] ὁ ἐμ[ὸς] οἶκος ἠραύνητ[αι . . .] καὶ σεσύνηται εἰ ταῦτα οὕτως ἔχι ἀσφαλῶς.* Oxyrh. Pap. VII 1910, nr. 1061 (a. 22 a. Chr. n.): *ἕως ἂν μετρηθῆι ἡ ἄβροχος ἦι ἐν ταῖς ζ (ἀρούραις) καὶ μετρη(θῇ) τὸ ὑπὲρ α(ὐτοῦ) δη(μόσιον).* Oxyrh. Pap. XII 1916, nr. 1482 (saec. II): *γράφω σοι ἵν' ἰδῇς ὅτι λελικμήκαμεν τὴν κριθὴν τοῦ Αὐασίτου τῇ η, καὶ οὐ οὕτως αὐτὴν λελικμήκαμεν μετὰ κόπου.* Oxyrh. Pap. XIV 1920, nr. 1671 (saec. III): *καὶ νῦν ἐνοχλεῖ ἡμεῖν (ὁ δεκάπρωτος) καὶ τοῖς γεωργοῖς κτήνη οὐκ ἔχωσι, καὶ περὶ χόρτου καὶ περὶ τῆς δαπάνης ἐνοχλεῖ.* Verba repetita certe nihil valent ad sensum, neque quicquam desideraremus, si et hic et in exemplis e scriptoribus allatis deessent.

Vagatur igitur omnibus his locis nonnihil oratio. Hanc verborum abundantiam nostris quoque temporibus et ex sermone vulgari et ex ipsa dictione urbana, cum neglegentius loquimur, intellegere possumus.

β) Membra copulantur particularum *καί* — *δέ* coniunctione.

Ad hanc de qua agimus speciem repetitionis referendi sunt etiam loci, qui particularum *καί* — *δέ* coniunctione duo enuntiata

---

[1]) p. 11.

inter se copulata exhibent. Hanc coniungendi rationem etsi aliis scriptoribus haud ita inusitatam[1]) maxime a Xenophonte usurpatam esse[2]) atque id tribus modis facile cognoscitur ex exemplis: primum enuntiationi cuidam particulis sic coniunctis altera annectitur, qua additur alterum quoddam factum, atque ita adicitur, ut gravissima eius cogitatio, quae priori sententiae opponitur, illarum particularum copulatione includatur (cf. Anab. II 6, 9: *ἐκόλαζέ τε ἰσχυρῶς, καὶ ὀργῇ ἐνίοτε, ὡς καὶ αὐτῷ μεταμέλειν ἔσθ' ὅτε. καὶ γνώμῃ δ' ἐκόλαζεν κτλ.*); deinde altera sententia illo modo adiungitur, quae alterum argumentum profert, quo confirmatur, quod ante dictum est (cf. Oec. 17, 10: *ἣν μέντοι ἐκτρέφειν ἐᾷς τὴν γῆν διὰ τέλους τὸ σπέρμα εἰς καρπόν, χαλεπὸν τῇ ἀσθενεῖ γῇ ἐς τέλος πολὺν καρπὸν ἐκφέρειν. καὶ συῒ δὲ ἀσθενεῖ χαλεπὸν πολλοὺς ἁδροὺς χοίρους ἐκτρέφειν*)[3]).

Quibus ex exemplis verbum membri praecedentis in altera enuntiatione post particulas hoc modo coniunctas repeti apparet, id quod multis aliis locis comprobatur, quorum e numero liceat afferre Anab. V 3, 9: *ἐποίησε δὲ καὶ βωμὸν καὶ ναὸν ἀπὸ τοῦ ἱεροῦ ἀργυρίου, καὶ τὸ λοιπὸν δὲ ἀεὶ δεκατεύων τὰ ἐκ τοῦ ἀγροῦ ὡραῖα θυσίαν ἐποίει τῇ θεῷ κτλ.* Cyr. III 1, 20: *ὁ μὲν γὰρ ἰσχύι κρατηθεὶς ἔστιν ὅτε ᾠήθη σωμασκήσας ἀναμαχεῖσθαι· καὶ πόλεις δὲ ἁλοῦσαι συμμάχους προσλαβοῦσαι οἴονται ἀναμαχέσασθαι ἄν.* Hell. III 4, 16 (cf. Ages. 1, 25): *ἀσκῆσαι δ' αὐτὸ* (scil. *τὸ στράτευμα*) *βουλόμενος ἆθλα προύθηκε ταῖς τε ὁπλιτικαῖς τάξεσιν, ἥτις ἄριστα σωμάτων ἔχοι, καὶ ταῖς ἱππικαῖς, ἥτις κράτιστα ἱππεύοι· καὶ πελτασταῖς δὲ καὶ τοξόταις ἆθλα προύθηκεν, ὅσοι κράτιστοι πρὸς τὰ προσήκοντα ἔργα φανεῖεν.* Alia

---

[1]) Cf. Kühner-Gerth II³ 2, § 523, p. 253.

[2]) Cf. supra p. 32; cf. etiam Joh. Alphons Simon, Xenophonstudien. Erster Teil: Zur Entwicklung des xenophonteischen Stils, Gymn. Progr. Düren 1887, p. 10.

[3]) Tertiam huius particularum colligationis speciem, quam in complurium rerum enumeratione adhiberi apparet velut ex Hell. IV 3, 3: *Λαρισαῖοι μὲν οὖν καὶ Κραννώνιοι καὶ Σκοτουσσαῖοι καὶ Φαρσάλιοι ..., καὶ πάντες δὲ Θετταλοί, ..., ἐκακούργουν κτλ.*, quia non coniuncta est cum repetitione, hac adnotatione commemorasse satis habeo.

exempla vide: Oec. 8, 20; Mem. IV 7, 8; Anab. I 8, 20; VI 6, 7; Hell. III 4, 24; IV 5, 5; VII 4, 23; Cyr. III 1, 37; V 3, 47; 4, 29[1]); VIII 1, 11; 3, 13; 7, 10; de re equ. 10, 10; Hipparch. 4, 6; 9, 4[2]).

Huius repetitionis usus immemores viri docti van Herwerden et Franciscus Ruehl in Hipparch. 4, 6: *πολὺ γὰρ διαφέρει ἡγούμενος ὁ εἰδὼς τὰς ὁδοὺς τοῦ μὴ εἰδότος, καὶ ἐπιβουλεύων δὲ πολεμίοις ὁ εἰδὼς τοὺς τόπους τοῦ μὴ εἰδότος πολὺ διαφέρει* repetita verba *πολὺ διαφέρει* non ferenda esse putaverunt; sed haec verborum copia bene fulcitur[3]) cum locis, quos modo pertractavimus, tum, quod ad collocationem verborum attinet, exemplo Anab. I 7, 13: *ταῦτα δὲ ἤγγελλον πρὸς Κῦρον οἱ αὐτομολήσαντες ἐκ τῶν πολεμίων . . . πρὸ τῆς μάχης, καὶ μετὰ τὴν μάχην οἳ ὕστερον ἐλήφθησαν τῶν πολεμίων ταῦτα ἤγγελλον* — adde, si comparare licet, epistulam quandam papyraceam, quae haec exhibet verba (Pap. Fayûm nr. 123 [a. 100 p. Chr. n.]): . . . *ἐὰν δοκῇ σοι πέμψαι τὸ ἀποχοον Ἰσᾶτος καὶ παραλάβωμεν τὸ ἐλάδιον λυπὸν ἐὰν δόξῃ σοι.*

Ea repetendi ratio speciem simplicis neque artificiosae narrationis praebet scriptis Xenophonteis. Sed in hoc ipso artis defectu qui videtur aliquantum artificii cernendum est, atque illa simplici ratione adhibita Xenophon arti cuidam indulgere mihi videtur, quae in arte dissimulanda posita est neque primo obtutu apparet ob illam simplicitatis speciem[4]).

---

1) Cf. supra p. 32.

2) Arrianum quoque hanc scribendi rationem usurpasse apparet ex Anab. I 10, 4: *ὁ δὲ . . . ἐξῄτει τοὺς ἀμφὶ Δημοσθένην καὶ Λυκοῦργον· καὶ Ὑπερείδην δὲ ἐξῄτει καὶ Πολύευκτον κτλ.* De huius particularum coniunctionis frequentatione apud Arrianum obvia cf. Grundmannus l. c. p. 8.

3) Verbum repetitum retinet etiam Guilelmus Bannier, Rh. Mus. 69, 1914, 496.

4) Conspicuae arti hic si studuisset Xenophon, anaphorae figura usus hunc in modum formasset hos locos Anab. II 6, 9: *ἐκόλαζε ἰσχυρῶς καὶ ὀργῇ ἐνίοτε . . ., ἐκόλαζε δὲ καὶ γνώμῃ κτλ.*, Hipparch. 4, 6: *πολὺ γὰρ διαφέρει ἡγούμενος . . ., πολὺ δὲ καὶ διαφέρει ἐπιβουλεύων κτλ.*, ut congruerent cum loco Hell. V 1, 28, ut exemplo utar: *ἐπεὶ δ' ἦλθον αὐτῷ αἵ τε ἐκ Συρακουσῶν νῆες εἴκοσιν, ἦλθον δὲ καὶ αἱ ἀπὸ Ἰωνίας.*

Neque vero semper verbum eadem forma repetitur, sed interdum paulum variatum verbo synonymo in medium profertur, id quod demonstratur his locis: Cyr. VI 1, 46: ὡς δ' ἔγνω ὁ Ἀβραδάτας τὰ παρὰ τῆς γυναικὸς σύμβολα, καὶ τἆλλα δὲ ἥσθετο ὡς εἶχεν, ἄσμενος πορεύεται κτλ. de re equ. 7, 13: ἱππασίαν δ' ἐπαινοῦμεν τὴν πέδην καλουμένην ... καὶ τὸ μεταβάλλεσθαι δὲ τὴν ἱππασίαν ἀγαθόν κτλ. Anab. V 3, 8: ἔτυχε δὲ διαρρέων διὰ τοῦ χωρίου ποταμὸς Σελινοῦς. καὶ ἐν Ἐφέσῳ δὲ παρὰ τὸν τῆς Ἀρτέμιδος νεὼν Σελινοῦς ποταμὸς παραρρεῖ.

Illud quoque observatione dignum est, quod satis magna exemplorum copia exstat, quae hac verborum abundantia carent; cf. exempli causa de rep. Lac. 13, 4: πάρεισι δὲ περὶ τὴν θυσίαν πολέμαρχοι, λοχαγοί, πεντηκοντῆρες, ξένων στρατίαρχοι, στρατοῦ σκευοφορικοῦ ἄρχοντες, καὶ τῶν ἀπὸ τῶν πόλεων δὲ στρατηγῶν ὁ βουλόμενος. Hipparch. 4, 5: τὸ γὰρ ὡς ἐκ πλείστου προαισθάνεσθαι πολεμίων χρήσιμον καὶ πρὸς τὸ ἐπιθέσθαι καὶ πρὸς τὸ φυλάξασθαι· καὶ τὸ ἀναμένειν δὲ ἐπὶ ταῖς διαβάσεσιν, ὡς μὴ κατακόπτωσι τοὺς ἵππους οἱ τελευταῖοι τὸν ἡγεμόνα διώκοντες (desiderat hic Courierus post διώκοντες vocabulum velut ἀγαθόν vel σύμφορον vel χρήσιμον, quo sententia expleatur).

Est igitur in more Xenophontis, ut et simplicem verbi repetitionem in hac membrorum copulatione amplectatur et, id quod huic rationi contrarium est, brevitati cuidam dictionis indulgeat. Harum proprietatum utramque promiscue in singulis scriptis adhiberi facile exemplis comprobatur (cf. Hipparch. 4, 5 cum Hipparch. 4, 6 [p. 66]).

γ) Membra copulantur particularum καί—γε coniunctione.

Neque id in hac commentatione neglegendum est, quod praeter particularum καί—δέ colligationem invenitur in scriptis Xenophonteis coniunctio particularum καί—γε, post quam verbum membri praecedentis nonnumquam repetitum exhibetur. Hoc modo cogitationi cuidam altera adicitur, quae levem quandam gradationem, sicut particulae γε natura fert[1]), significat.

[1]) Cf. Kühner-Gerth II³ 2, § 509, 4, p. 173.

Ad hanc repetitionis speciem pertinent hi loci: Anab. III 3, 5: *διέφθειρον γὰρ προσιόντες τοὺς στρατιώτας, καὶ ἕνα γε λοχαγὸν διέφθειραν Νίκαρχον κτλ.* Cyr. II 3, 9: *νῦν δ', ἔφη, ἡμῖν καὶ δείκνυται μάχη, ἣν ἐγὼ ὁρῶ πάντας ἀνθρώπους φύσει ἐπισταμένους, ὥσπερ γε καὶ τἆλλα ζῷα ἐπίσταταί τινα μάχην ἕκαστα . . . καὶ φυλάττεσθαί γ', ἔφη, ἅπαντα ταῦτα ἐπίστανται ἀφ' ὧν μάλιστα δεῖ κτλ.* Oec. 20, 16: *ῥᾳδίως γὰρ ἀνὴρ εἷς παρὰ τοὺς δέκα διαφέρει τῷ ἐν ὥρᾳ ἐργάζεσθαι, καὶ ἄλλος γε ἀνὴρ διαφέρει τῷ πρὸ τῆς ὥρας ἀπιέναι*[1]. Oec. 12, 18: *χαλεπὸν γὰρ τοῦ διδασκάλου πονηρῶς τι ὑποδεικνύοντος καλῶς τοῦτο ποιεῖν μαθεῖν, καὶ ἀμελεῖν γε ὑποδεικνύοντος τοῦ δεσπότου χαλεπὸν ἐπιμελῆ θεράποντα γενέσθαι.* Haec verbi repetitio cognoscitur etiam ex Oec. 7, 36; 11, 9; Mem. II 3, 13; Conv. 3, 3; Cyr. V 3, 31.

Non idem verbum repetitur, sed verbum similem significationem exhibens in Hell. II 3, 48: *ἐγὼ δ', ὦ Κριτία, ἐκείνοις μὲν ἀεί ποτε πολεμῶ τοῖς οὐ πρόσθεν οἰομένοις καλὴν ἂν δημοκρατίαν εἶναι, πρὶν καὶ οἱ δοῦλοι καὶ οἱ δι' ἀπορίαν δραχμῆς ἂν ἀποδόμενοι τὴν πόλιν αὐτῆς μετέχοιεν, καὶ τοῖσδέ γ' αὖ ἀεὶ ἐναντίος εἰμὶ οἳ οὐκ οἴονται καλὴν ἂν ἐγγενέσθαι ὀλιγαρχίαν κτλ.* Quamquam et hic et in locis modo excussis verbum semel posuisse Xenophon satis habere potuit, tamen hanc quoque iterationis speciem usui popularis sermonis accommodasse eum nobis persuasimus; atque bene accidit, quod etiam in epistulis papyraceis aliquid comparabile iis, quae supra demonstravimus, nancti sumus. Liceat hoc exemplum ex epistula quadam commendaticia petitum afferre: Oxyrh. Pap. XIV 1920, nr. 1663 (saec. II/III): *πάνυ ἥσθην ἀ[κού]ων σε ἐν τῷ Θεινίτῃ διάγειν καὶ συνήδομαί γε [τ]ῷ φίλῳ σο[υ] κηδεμόνι ἀγαθῷ καὶ ἐπι⟨ει⟩κεστάτῳ εἰς τὰ πραγμάτια ἑα[υ]τοῦ ʽα . . . μενῳ'.*

---

[1] Hunc locum varie temptaverunt viri docti; ante *ἐν ὥρᾳ* addidit *μή* Thalheimius (idem vir doctus alterum *διαφέρει* fortasse delendum esse censuit), *μητ'* Richardsius, ante *πρὸ τῆς ὥρας* adiecit Leunclavius voculam *μή*. Mihi quidem hic nihil addendum videtur esse, cum opponatur homo quidam, qui suo tempore laboret, alteri homini ante tempus a labore abeunti. Notiones igitur inter se oppositae vocabulis *ἐν ὥρᾳ* et *πρὸ τῆς ὥρας* satis sunt significatae.

δ) Membra copulantur particulis adversativis *μέν — δέ*.

Ad idem repetitionis genus spectat, quod in enuntiationibus aut enuntiationis partibus, quae particulis adversativis *μέν — δέ* inter se coniunctae sunt, verbi iteratio a Xenophonte frequentatur. Hanc scribendi rationem, cum rhetorica illa figura antithesis vel contrapositi illis particulis affatim utatur, persaepe rhetoricam artem redolere multis exemplis confirmatur, in quibus repetitum verbum non aliam ob causam adhiberi concedendum est, nisi ut figura illa elocutionis efficiatur.

Id iam demonstravit Schachtius in dissertatione, quam inscripsit «De Xenophontis studiis rhetoricis» (Berolini 1890), qui nonnulla exempla Gorgieae dictionis apud Xenophontem obvia collegit (p. 25 ss.) atque iterationem verbi ex illo studio rhetorici coloris explicavit. In Anab. V 6, 4: *νῦν γὰρ δὴ ἂν μὲν εὖ ξυμβουλεύσας φανῶ, πολλοὶ ἔσονται οἱ ἐπαινοῦντές με, ἂν δὲ κακῶς, πολλοὶ ἔσεσθε οἱ καταρώμενοι* et in Mem. I 1, 4: *καὶ τοῖς μὲν πειθομένοις αὐτῷ συνέφερε, τοῖς δὲ μὴ πειθομένοις μετέμελε* repetitum verbum consulto adhibitum est, ut isocoli figura cum contraposito coniuncta efficeretur. Adde haec exempla gravissima: Cyr. II 4, 24: *καὶ ἢν μὲν ἀνθιστῆται, δῆλον ὅτι μάχεσθαι δεήσει· ἢν δ' αὖ ὑποχωρῇ τοῦ πεδίου, δῆλον ὅτι μεταθεῖν δεήσει* et Ages. 2, 31: *ἐνταῦθα δὴ Ἀγησίλαος γνοὺς ὅτι εἰ μὲν μηδετέρῳ συλλήψοιτο..., οὗτος ἐχθρὸς ἔσται· εἰ δὲ τῷ ἑτέρῳ συλλήψοιτο, οὗτός γε εὖ παθὼν ... φίλος ἔσοιτο.* Certe isocoli figurae causa verbum bis positum est.

Locum notabilem, etsi aliquantum differt, quantum ad formam repetitionis attinet, ab exemplis modo allatis, tamen quin huc referam facere non possum, praesertim cum iniuria a viris doctis in suspicionem sit vocatus. In Cyr. I 6, 11: *τὸ δὲ ἔχοντα δύναμιν ᾗ ἔστι μὲν φίλους εὖ ποιοῦντα ἀντωφελεῖσθαι, ἔστι δὲ ἐχθροὺς ἔχοντα πειρᾶσθαι τείσασθαι, ἔπειτ' ἀμελεῖν τοῦ ⟨σῖτον⟩ πορίζεσθαι, οἴει σύ, ἔφη, ἧττόν τι τοῦτο αἰσχρὸν εἶναι ἢ κτλ.* participium *ἔχοντα* post *ἐχθρούς* «errore ex superiore versu ante *πειρᾶσθαι* repetitum» delendum esse statuit Madvigius[1]),

---

[1]) Adversaria critica ad scriptores Graecos et Latinos, vol. I, Hauniae 1871, p. 352.

quem secuti sunt Gemollius et Marchantius. Certe haec verbi repetitio idonea est, quae aliquid offensionis praebeat, si leviter tantum hunc locum attingimus neque comparamus cum usu repetendi Xenophonteo, qui ceteroquin observatur. Sed hoc loco cum exemplis supra excussis accuratius collato Xenophontem non minus hic quam illic manifestae arti rhetoricae indulsisse apparebit — abhibuit enim figuras contrapositi, anaphorae, homoeoteleuti, isocoli —, ut nihil habeamus, cur illud *ἔχοντα* tollamus.

Sed inveniuntur etiam exempla repetitionis, quam referendam esse ad artem rhetoricam non facile confirmaverit quis, cum schematis cuiusdam causa verbum non sit iteratum; immo dicemus repeti verbum ex usu sermonis popularis atque e naturali more loquendi. Huiusmodi iteratio facillime explicatur, ut inde exordiar, post sententiam, quae enuntiationibus oppositis intericitur. En exemplum Anab. V 2, 2: *οἱ δὲ Τραπεζούντιοι ὁπόθεν μὲν τὰ ἐπιτήδεια ῥᾴδιον ἦν λαβεῖν οὐκ ἦγον· φίλοι γὰρ αὐτοῖς ἦσαν· εἰς δὲ τοὺς Δρίλας προθύμως ἦγον, ὑφ' ὧν κακῶς ἔπασχον κτλ.*[1])

Persaepe apud Xenophontem verbum in enuntiatione bipertita repetitum reperimus, etsi scriptor verbum, quod repetit, sine damno orationis aut plane omittere, quia sententia non flagitatur, aut varietate dictionis iterationem evitare potuit. Legimus in Cyr. VIII 7, 3: *αἰτοῦμαι δ' ὑμᾶς δοῦναι καὶ νῦν παισὶ μὲν καὶ γυναικὶ καὶ φίλοις καὶ πατρίδι εὐδαιμονίαν, ἐμοὶ δὲ οἷόνπερ αἰῶνα δεδώκατε, τοιαύτην καὶ τελευτὴν δοῦναι,* in quibus bis collocatum est verbum *δοῦναι*, etsi semel positum illud esse satis erat. In Hell. VI 3, 10: *ταῦτα εἰπὼν σιωπὴν μὲν παρὰ πάντων ἐποίησεν, ἡδομένους δὲ τοὺς ἀχθομένους τοῖς Λακεδαιμονίοις ἐποίησε* pro altero *ἐποίησε* haud scio an aliud verbum velut *παρέχεσθαι*[2]) pariter licuerit adhibere. Eodemque genere scribitur in Ages. 1, 12: *ἐμοὶ οὖν τοῦτο πρῶτον καλὸν δοκεῖ διαπράξασθαι ὅτι Τισσαφέρνην μὲν ἐμφανίσας ἐπίορκον ἄπιστον πᾶσιν ἐποίησεν, ἑαυτὸν δ' ἀντεπιδείξας ...*

---

[1]) Cf. etiam Anab. VI 4, 9; Cyr. II 3, 22.

[2]) Cf. exempli gratia Oec. 12, 12: *οὔτε γὰρ ἂν αὐτὸς δύναιτο ⟨ὁ⟩ καθεύδων τὰ δέοντα ποιεῖν οὔτε ἄλλους παρέχεσθαι.*

συνθήκας μὴ ψευδόμενον, πάντας ἐποίησε καὶ Ἕλληνας καὶ βαρβάρους θαρροῦντας συντίθεσθαι ἑαυτῷ κτλ. et in Anab. II 6, 29: *ἀποθνησκόντων δὲ τῶν συστρατήγων . . . ταὐτὰ πεποιηκὼς οὐκ ἀπέθανε, μετὰ δὲ τὸν τῶν ἄλλων θάνατον . . . ἀπέθανεν κτλ.*[1])

Ad idem repetitionis genus spectant: Anab. V 4, 24: *καὶ οἱ μὲν πελτασταὶ εὐθὺς εἵποντο διώκοντες ἄνω πρὸς τὴν πόλιν, οἱ δὲ ὁπλῖται ἐν τάξει εἵποντο.* Anab. IV 3, 32: *καὶ οἱ μὲν πολέμιοι ἔφευγον πολὺ ἔτι θᾶττον, οἱ δὲ Ἕλληνες τἀναντία στρέψαντες ἔφευγον διὰ τοῦ ποταμοῦ ὅτι τάχιστα.* Cyr. I 5, 5: *ἔδοσαν δὲ αὐτῷ καὶ προσελέσθαι διακοσίους τῶν ὁμοτίμων, τῶν δ' αὖ διακοσίων ἑκάστῳ τέτταρας ἔδωκαν προσελέσθαι καὶ τούτους ἐκ τῶν ὁμοτίμων.* Cyr. III 2, 12: *ὡς δὲ εἶδεν, εὐθὺς λύειν μὲν ἐκέλευσε τοὺς δεδεμένους, τοὺς δὲ τετρωμένους ἰατροὺς καλέσας θεραπεύειν ἐκέλευσε.* Cyr. V 4, 8: *ἐνταῦθα δὴ καὶ ἅρματα ἡλίσκετο, ἔνια μὲν καὶ ἐκπιπτόντων τῶν ἡνιόχων . . ., ἔνια δὲ καὶ περιτεμνόμενα ὑπὸ τῶν ἱππέων ἡλίσκετο.*

Repetitionem verbi eidem usui accommodatam deprehendimus in duobus exemplis, quae in suspicionem vocata observationibus nostris defendere posse nobis videmur; legimus in Anab. III 1, 12: *τῇ δὲ καὶ ἐφοβεῖτο, ὅτι ἀπὸ Διὸς μὲν βασιλέως τὸ ὄναρ ἐδόκει αὐτῷ εἶναι, κύκλῳ δὲ ἐδόκει λάμπεσθαι τὸ πῦρ*[2]), ubi Cobeto prius *ἐδόκει* non esse ferendum videtur, et in Anab. VI 6, 22: *τοῦτον μὲν γὰρ οἶδα ἄνδρα ἀγαθὸν ὄντα, Δέξιππον δὲ οἶδα αἱρεθέντα ὑπὸ τῆς στρατιᾶς ἄρχειν τῆς πεντηκοντόρου . . .*, ubi idem vir doctus vim verbis infert, cum repetitum *οἶδα* uncis includit.

Referenda sunt huc etiam exempla huiusmodi: Cyr. I 2, 15: *οἱ μὲν δυνάμενοι τρέφειν τοὺς παῖδας ἀργοῦντας πέμπουσιν, οἱ δὲ μὴ δυνάμενοι οὐ πέμπουσιν.* Cyneg. 13, 16: *οἱ μὲν δύνανται καταφρονεῖν, οἱ δ' οὐ δύνανται.* Mem. II 3, 3: *ὥσπερ ἐκ πολιτῶν μὲν γιγνομένους φίλους,*

---

[1]) Cf. etiam Anab. II 4, 6; Mem. III 4, 1; Cyr. II 2, 10; Hell. VII 1, 26; Ages. 1, 33; Hipparch. 7, 4.

[2]) Cf. supra p. 60 s.

ἐξ ἀδελφῶν δὲ οὐ γιγνομένους. Oec. 20, 8: *ἀλλὰ καὶ τούτου οἱ μὲν ἐπιμελοῦνται ὡς ἔχῃ οὕτως, οἱ δ' οὐκ ἐπιμελοῦνται.* In his exemplis huiusmodi repetitio exstat, ut verbo cuidam opponatur verbum, quod eadem forma exprimitur addita tantum negatione. Certe bis positum verbum sensu non flagitatur, sed cum bis traditum sit, non temere eo loco, quo iteratur, delendum est, sicut Bisschopius sustulit hanc repetitionem: *τὸν μὲν καλῶς ποιοῦντα ἐπαινεῖν, τὸν δὲ ἀδικοῦντα μὴ ἐπαινεῖν* (Anab. II 6, 20). Nam etsi huic rationi contraria exstat species, quae agnoscitur ex his locis: Anab. II 6, 18: *σὺν τῷ δικαίῳ καὶ καλῷ ᾤετο δεῖν τούτων τυγχάνειν, ἄνευ δὲ τούτων μή.* Oec. 20, 12: *ἀλλὰ καὶ τούτων ἐπιμελοῦνται οἱ μέν, οἱ δ' οὔ.* Cyr. V 1, 10: *τῶν δὲ καλῶν τῶν μὲν ἐρῶσι, τῶν δ' οὔ.* Cyneg. 5, 11: *τοὺς δὲ μυκτῆρας, ὅταν μὲν εὕδῃ, κινεῖ πυκνά, ὅταν δὲ μή, ἧττον,* tamen nobis causam illic mutandi haec exempla repetitionis expertia afferre non debent; immo in huiusmodi oratione bimembri eidem duplici scribendi usui occurrimus, quem iam supra commemoravimus[1]). Inde cognoscitur pariter utrumque Xenophonti licuisse; repetitionem vero ad simplicitatem quandam loquendi pertinere arbitramur. Quibus exemplis hoc me vicisse spero, ut illos tres locos (Anab. III 1, 12; VI 6, 22; II 6, 20) temere a viris doctis temptatos esse appareat.

Ex hac scribendi ratione Xenophontem simplicitati cuidam indulsisse satis discimus, quo in genere ad similitudinem sermonis popularis illum accedere docent haec exempla ex epistulis privatis, quae exstant in papyris, petita: Oxyrh. Pap. VII 1910, nr. 1062 (saec. II): *εἰ δὲ τοῦτό σοι βάρος φέρει καὶ μήπω ἠγόρασας, τὸ ἀργύριον δὸς Ζωίλωι τῶι φίλωι, εἰ δὲ ἠγόρασας τοὺς πόκους, παράδος τῶι αὐτῶι.* Oxyrh. Pap. X 1914, nr. 1294 (saec. II/III): *π[ερ]ὶ πάντων τούτων εἰ ἐκομίσω δήλωσόν μοι διὰ τοῦ [ν]αυτικοῦ, ἐὰν δέ τινός σοι χρεία ἦ{ν}, δήλωσόν μοι.* Oxyrh. Pap. XIV 1920, nr. 1668 (saec. III): *καὶ πρότερον μὲν ἔλεγεν ὅτι ἢ δός μοι . . ., νῦν δέ μοι ἔλεγεν ὅτι τὸ ἐφήμισυ ἐδώκαμεν τοῖς ἐργαζομένοις.*

---

[1]) p. 67.

Denique Arrianum quoque hunc usum amplexum esse breviter demonstrare liceat, quoniam semper in medium protulimus, si quid comparabile Xenophontis sermoni apud Arrianum investigaveramus: legimus in Anab. V 2, 3: *ἀλλὰ σύ, ..., τοὺς ἱππέας μὲν ἄγεσθαι τοὺς τριακοσίους καὶ εἰ βούλει ἔτι τούτων πλείονας, ἀντὶ δὲ τῶν ἑκατόν, ..., διπλασίους τῶν ἄλλων τῶν κακῶν ἄγεσθαι κτλ.*[1])

b) Verbum repetitur intra tria membra (tres enuntiationes aut enuntiationis partes).

α') Primi membri verbum repetitur in altero membro, vacat autem in tertio.

Transeamus nunc ad verbi repetitionem, quae fit in sententia non bipertita, sed in tres partes distributa. Hac in re eam viam, quam in capite praecedente sumus ingressi, non iam persequemur; neque enim ita materiam partiri e re videtur esse, ut, quibus particulis enuntiationes inter se sint coniunctae, quaeramus, sed hoc nobis est propositum, ut curiosius expendamus, quomodo iteretur verbum — nam aut in altero aut in tertio membro repetitio fit — quove modo, cum repetitur, paulum varietur.

Huius repetitionis genus in quattuor species dividens primum hanc tractaturus sum, e qua primi membri verbum repeti in altero membro, vacare autem in tertio intellegitur. Quod demonstratur his locis: Anab. VI 3, 19: *οἱ δὲ ἱππεῖς σπειρόμενοι ἐφ' ὅσον καλῶς εἶχεν ἔκαιον, καὶ οἱ πελτασταὶ ἐπιπαριόντες κατὰ τὰ ἄκρα ἔκαιον πάντα ὅσα καύσιμα ἑώρων, καὶ ἡ στρατιὰ δέ, εἴ τινι παραλειπομένῳ ἐντυγχάνοιεν.* Cyr. II 4, 4: *παρήγγειλε τῷ πρώτῳ ταξιάρχῳ τὴν τάξιν εἰς δώδεκα τάττειν βάθος ..., καὶ τῷ δευτέρῳ ταὐτὰ ἐκέλευσε παραγγεῖλαι, καὶ διὰ παντὸς οὕτως.*

His Xenophontis locis adde duos Arrianeos, quibus idem usus probatur: Anab. VII 18, 5: *ταῦτα αὐτὸς Ἀριστόβουλος λέγει παρὰ Πειθαγόρου πυθέσθαι· καὶ Περδίκκᾳ δὲ μαντεύσασθαι αὐτὸν λέγει καὶ Ἀντιγόνῳ χρόνῳ ὕστερον· καὶ τοῦ αὐτοῦ σημείου ἀμφοῖν γενομένου Περδίκκαν τε ἐπὶ Πτολεμαῖον στρατεύσαντα ἀποθανεῖν καὶ Ἀντίγονον ἐν τῇ*

---

[1]) Cf. etiam Arr. Anab. III 2, 7; VI 13, 5; VII 3, 2; 22, 3; 23, 6.

μάχῃ . . . τῇ ἐν Ἰψῷ γενομένῃ et Anab. III 18, 7: *τῆς τρίτης δὲ* (scil. *φυλακῆς*) *οἱ πλείους διέφυγον, καὶ οὐδὲ οὗτοι ἐς τὸ στρατόπεδον τὸ Ἀριοβαρζάνου ἔφυγον, ἀλλ' αὐτόθεν ὡς εἶχον ἐς τὰ ὄρη πεφοβημένοι κτλ.*

β') Primi membri verbum repetitur in tertio membro, deest autem in altero.

Hoc quid sibi velit, optime intellegitur ex exemplo Hipparch. 8, 3: *οἱ δέ γε δεδιδαγμένοι τε καὶ εἰθισμένοι τάφρους διαπηδᾶν . . . καὶ τὰ κατάντη ταχὺ ἐλαύνεσθαι, οὗτοι δ' αὖ τοσοῦτον διαφέροιεν ἂν τῶν ἀμελετήτων ταῦτα ὅσονπερ πτηνοὶ πεζῶν· οἱ δέ γε αὖ τοὺς πόδας ἐκπεπονημένοι τῶν ἀτριβάστων πρὸς ⟨τὰ⟩ τραχέα ὅσονπερ ὑγιεῖς χωλῶν· καὶ οἵ γε τῶν τόπων ἔμπειροι πρὸς τοὺς ἀπείρους τοσοῦτον . . . διαφέροιεν ἂν ὅσονπερ οἱ ὁρῶντες τῶν τυφλῶν.* Simillimum exemplum exstat in Mem. I 2, 19: *ἴσως οὖν εἴποιεν ἂν πολλοὶ τῶν φασκόντων φιλοσοφεῖν ὅτι οὐκ ἄν ποτε ὁ δίκαιος ἄδικος γένοιτο, οὐδὲ ὁ σώφρων ὑβριστής, οὐδὲ ἄλλο οὐδὲν ὧν μάθησίς ἐστιν ὁ μαθὼν ἀνεπιστήμων ἄν ποτε γένοιτο.* Congruit cum his locis exemplum de vect. 4, 52: *οἵ τε γὰρ ταχθέντες γυμνάζεσθαι πολὺ ἂν ἐπιμελέστερον τοῦτο πράττοιεν ἐν τοῖς γυμνασίοις . . .· οἵ τε φρουρεῖν ἐν τοῖς φρουρίοις, οἵ τε πελτάζειν καὶ περιπολεῖν τὴν χώραν, πάντα ταῦτα μᾶλλον ἂν πράττοιεν, ἐφ' ἑκάστοις τῶν ἔργων τῆς τροφῆς ἀποδιδομένης.* Perspectis his locis[1]) mutari opus non esse nemo non intelleget in Anab. V 6, 11: *οἱ μὲν ὑπώπτευον φιλίας ἕνεκα τῆς Κορύλα λέγειν· καὶ γὰρ ἦν πρόξενος αὐτῷ· οἱ δὲ καὶ ὡς δῶρα ληψόμενον διὰ τὴν ξυμβουλὴν ταύτην· οἱ δὲ ὑπώπτευον καὶ τούτου ἕνεκα λέγειν ὡς κτλ.*, ubi Cobetus, ut hanc repetitionem Xenophonti eximat, alterum *ὑπώπτευον* et verba *τούτου ἕνεκα λέγειν* tollenda esse censet.

Ad huius usus similitudinem proxime accedit Arrianus, qui hoc unum exemplum mihi praebet: Anab. VII 23, 1: *ἧκε δὲ αὐτῷ καὶ Φιλόξενος στρατιὰν ἄγων ἀπὸ Καρίας καὶ*

---

[1]) Adde hos locos: Anab. I 2, 1; VII 3, 27; 3, 31; Hell. I 2, 10; III 4, 16 (= Ages. 1, 25); Cyr. I 6, 17; 6, 41; Mem. I 2, 20; Hier. 1, 5.

Μένανδρος ἐκ Λυδίας ἄλλους καὶ Μενίδας τοὺς ἱππέας ἄγων τοὺς αὐτῷ ξυνταχθέντας.

γ′) Primi membri verbum repetitur in tertio membro, variatur autem in altero.

Exempli causa affero Cyr. I 5, 1: *ἐπεὶ δὲ καὶ ἐσθίοντα αὐτὸν ἑώρων ὥσπερ καὶ αὐτοὶ ἡδέως καὶ πίνοντα, καί, εἴ ποτ' ἐν ἑορτῇ εὐωχία γένοιτο, ἐπιδιδόντα μᾶλλον αὐτὸν τοῦ ἑαυτοῦ μέρους ἠσθάνοντο ἢ προσδεόμενον, καὶ πρὸς τούτοις δὲ τἆλλα κρατιστεύοντα αὐτὸν ἑώρων ἑαυτῶν κτλ.* et Mem. III 11, 13: *ὁρᾷς γὰρ ὅτι καὶ τῶν βρωμάτων τὰ ἥδιστα, ἐὰν μέν τις προσφέρῃ πρὶν ἐπιθυμεῖν, ἀηδῆ φαίνεται, κεκορεσμένοις δὲ καὶ βδελυγμίαν παρέχει, ἐὰν δέ τις προσφέρῃ λιμὸν ἐμποιήσας, κἂν φαυλότερα ᾖ, πάνυ ἡδέα φαίνεται* et Cyr. II 1, 5: *ὁ δὲ Ἀσσύριος . . . ἐγὼ μὲν οἶμαι ἱππέας μὲν ἄξει οὐκ ἐλάττους δισμυρίων, ἅρματα δ' εὖ οἶδ' οὐ μεῖον διακοσίων, πεζοὺς δὲ οἶμαι παμπόλλους*[1]).

Eandem proprietatem his duobus exemplis e papyris petitis confirmare liceat: Oxyrh. Pap. XIV 1920, nr. 1673 (saec. II): *τὰ τῆς πρώτης ληνοῦ οἰνάρι[α] ἐνέκλισα μὴ χωρίσας τὰ εὐώδη, τ[ὰ] δὲ τῆς δευτέρας διεχώρισα πρότερ[ο]ν εὑρὼν εὐώδη τριάκοντα, τὰς δ' ἄλλας ληνοὺς οὐκ ἐνέκλισα κτλ.* Oxyrh. Pap. XIV 1920, nr. 1775 (saec. V): *πᾶν ποίησον οὖν, κύριέ μου ἀδελφέ, σοῦ κατερχομένου λαβῖν τὸ κέρμα καὶ ἀγοράσε* (lege — *σαι*) *μοι ἐντολικὸν καὶ λαβῖν . . . τὸ στιχάριον.*

Hae tres species repetitionis ea re inter se congruunt, quod verbum intra tres enuntiationis partes non bis iteratur, sed semel tantum repetitur.

δ′) Primi membri verbum deest in altero membro, variatur autem in tertio.

Postremo quartam huius repetitionis speciem in medium proferam. Etiamsi hic primi membri verbum desit in altero membro atque in tertio paululum mutatum variatumque inveniatur,

---

[1]) Huc pertinent etiam hi loci: Anab. VII 2, 38; Mem. II 3, 19; Cyr. VIII 1, 9; Oec. 20, 11.

tamen repetitionis nomine eam appellare licet; etenim, quod ad sensum attinet, primi membri verbum iteratur quamquam alia forma expressum.

Hunc scribendi usum Xenophonteum confirmaturus sum his locis: Mem. I 4, 18: *ὥσπερ ἀνθρώπους θεραπεύων γιγνώσκεις τοὺς ἀντιθεραπεύειν ἐθέλοντας καὶ χαριζόμενος τοὺς ἀντιχαριζομένους καὶ συμβουλευόμενος καταμανθάνεις τοὺς φρονίμους.* Hier. 1, 27: *πρῶτον μὲν γὰρ γάμος ὁ μὲν ἐκ μειζόνων δήπου καὶ πλούτῳ καὶ δυνάμει κάλλιστος δοκεῖ εἶναι . . .· δεύτερος δ' ὁ ἐκ τῶν ὁμοίων· ὁ δ' ἐκ τῶν φαυλοτέρων πάνυ ἄτιμός τε καὶ ἄχρηστος νομίζεται.* Hell. V 4, 28: *ἐπεὶ δὲ εἶδεν αὐτὸν ἐξιόντα, πρῶτον μέν, εἴ τις τῶν πολιτῶν παρῆν, παρίει τούτους διαλέγεσθαι αὐτῷ, ἔπειτα δ', εἴ τις ξένος, ἔπειτα δὲ καὶ τῶν θεραπόντων τῷ δεομένῳ παρεχώρει.* Alia exempla vide Mem. III 3, 4; Anab. VII 2, 2; Cyr. II 2, 26; 3, 23; Hell. II 3, 28; V 2, 16.

Atque etiam Arrianum hanc proprietatem adhibuisse apparet ex Anab. VII 16, 3: *ἐκ Βάκτρων μὲν Ὄξος, μέγιστος τῶν Ἀσιανῶν ποταμῶν, πλήν γε δὴ τῶν Ἰνδῶν, ἐξίησιν ἐς ταύτην τὴν θάλασσαν* (scil. *τὴν Κασπίαν*), *διὰ Σκυθῶν δὲ Ἰαξάρτης· καὶ τὸν Ἀράξην δὲ τὸν ἐξ Ἀρμενίων ῥέοντα ἐς ταύτην ἐσβάλλειν ὁ πλείων λόγος κατέχει.*

c) Verbum repetitur intra plura membra (plures enuntiationes aut enuntiationis partes).

Breviter etiam hoc adiciendum videtur esse, quod verbum repeti solet intra plura membra atque id aut prorsus eadem forma aut ita, ut paulum mutetur atque varietur, sicut iam in priore capite exposuimus. Hunc repetendi usum quantopere Xenophon adamaverit, demonstratur optime his exemplis, quorum quodque diverso periodi loco verbum iteratum exhibet: Cyr. II 1, 30: *ἐκάλει δὲ ὡς τὰ πολλὰ τῶν ταξιάρχων οὓς καιρὸς αὐτῷ δοκοίη εἶναι, ἔστι δ' ὅτε καὶ τῶν λοχαγῶν . . . καὶ τῶν πεμπαδάρχων ἐκάλει, ἔστι δ' ὅτε καὶ τῶν στρατιωτῶν, ἔστι δ' ὅτε καὶ τὴν πεμπάδα ὅλην κτλ.* Alterum *ἐκάλει* etsi sine damno omitti potuit, tamen Xenophonti addendum esse videbatur. Neque minus supervacaneum est verbum repetitum in Hell. VII 2, 20: *τοῦτο δὲ χρή, ὦ Χάρης, εὖ εἰδέναι, ὅτι . . . τοῖς*

μὲν πολεμίοις ἐπιτετειχικὼς ἔσει, φιλίαν δὲ πόλιν διασεσωκὼς, εὐκλεέστατος δὲ ἐν τῇ πατρίδι ἔσει, ὀνομαστότατος δὲ καὶ ἐν τοῖς συμμάχοις καὶ πολεμίοις. Tertium locum addere licet Cyr. II 3, 18: ἐπεὶ δὲ ὁμοῦ ἐγένοντο, οἱ τοὺς νάρθηκας ἔχοντες ἔπαιον τῶν μὲν μηρούς, τῶν δὲ χεῖρας, τῶν δὲ κνήμας, τῶν δὲ καὶ ἐπικυπτόντων ἐπὶ βώλους ἔπαιον τοὺς τραχήλους καὶ τὰ νῶτα.

Huiusmodi iterationem interdum post satis longam verborum comprehensionem fieri docet exemplum Mem. III 9, 11: ἐπεδείκνυεν ἔν τε νηῒ τὸν μὲν ἐπιστάμενον ἄρχοντα, τὸν δὲ ναύκληρον καὶ τοὺς ἄλλους τοὺς ἐν τῇ νηῒ πάντας πειθομένους τῷ ἐπισταμένῳ, καὶ ἐν γεωργίᾳ τοὺς κεκτημένους ἀγρούς, καὶ ἐν νόσῳ τοὺς νοσοῦντας, καὶ ἐν σωμασκίᾳ τοὺς σωμασκοῦντας, καὶ τοὺς ἄλλους πάντας . . ., ὃν μὲν αὐτοὶ ἡγῶνται ἐπίστασθαι ἐπιμελεῖσθαι —· εἰ δὲ μή, τοῖς ἐπισταμένοις οὐ μόνον παροῦσι πειθομένους, ἀλλὰ καὶ ἀπόντας μεταπεμπομένους, ὅπως ἐκείνοις πειθόμενοι τὰ δέοντα πράττωσιν· ἐν δὲ ταλασίᾳ καὶ τὰς γυναῖκας ἐπεδείκνυεν ἀρχούσας τῶν ἀνδρῶν κτλ. In sexto demum membro, ut ita periodum dividam, verbum primi membri repetitur.

Exemplum haud indignum, quod a nobis animadvertatur, legitur in Anab. I 2, 3: Ξεννίας μὲν δὴ τοὺς ἐκ τῶν πόλεων λαβὼν παρεγένετο εἰς Σάρδεις ὁπλίτας εἰς τετρακισχιλίους, Πρόξενος δὲ παρῆν ἔχων ὁπλίτας . . ., Σοφαίνετος δὲ . . . ὁπλίτας ἔχων χιλίους, Σωκράτης δὲ ὁ Ἀχαιὸς ὁπλίτας ἔχων ὡς πεντακοσίους, Πασίων δὲ . . . τριακοσίους . . . πελταστὰς ἔχων παρεγένετο. Hinc optime cognoscitur Xenophontem et repetitioni indulsisse — redit enim in fine periodi ad primi membri verbum — et variationi dedisse operam (παρεγένετο-παρῆν). Alia exempla vide Mem. II 5, 3; III 1, 6; Hier. 2, 2; Cyr. I 1, 3; II 1, 29; V 1, 18; VIII 5, 15.

Eadem scribendi ratio his Arriani locis comprobatur: Anab. III 6, 5: Ἅρπαλος γὰρ τὰ μὲν πρῶτα ἔφυγε, Φιλίππου ἔτι βασιλεύοντος, ὅτι πιστὸς ἦν, καὶ Πτολεμαῖος ὁ Λάγου ἐπὶ τῷ αὐτῷ ἔφυγε καὶ Νέαρχος ὁ Ἀνδροτίμου καὶ Ἐριγύϊος ὁ Λαρίχου καὶ Λαομέδων ὁ τούτου ἀδελφός κτλ. Anab. VII 4, 5 s.: Δρύπετιν δὲ Ἡφαιστίωνι δίδωσι . . .· Κρατερῷ δὲ Ἀμαστρίνην τὴν Ὀξυάτρου . . .

παῖδα· Περδίκκᾳ δὲ τὴν Ἀτροπάτου τοῦ Μηδίας σατράπου παῖδα ἔδωκεν· Πτολεμαίῳ δὲ . . . καὶ Εὐμενεῖ . . . τὰς Ἀρταβάζου παῖδας τῷ μὲν Ἀρτακάμαν, τῷ δὲ Ἄρτωνιν· Νεάρχῳ δὲ τὴν Βαρσίνης τε καὶ Μέντορος παῖδα· Σελεύκῳ δὲ τὴν Σπιταμένους τοῦ Βακτρίου παῖδα· ὡσαύτως δὲ καὶ τοῖς ἄλλοις ἑταίροις τὰς δοκιμωτάτας Περσῶν τε καὶ Μήδων παῖδας ἐς ὀγδοήκοντα[1]).

Perspecta igitur repetitione verbi, quae fit intra singulas enuntiationes aut enuntiationis partes, ex hac proprietate vel maxime sermonis Xenophontei simplicitatem elucere dicimus, quam ad similitudinem sermonis popularis et cotidiani accedere et ipsis Xenophontis locis satis comprobatur et exemplis ex litteris papyraceis petitis optime confirmatur.

2. De repetitione substantivi nominis.

a) Nomina propria prorsus abundanter repetuntur aut in eodem enuntiato aut in sequente.

Ad simplicitatem elocutionis etiam hoc referendum est, quod idem substantivum iteratur aut in eadem verborum comprehensione aut in enuntiatione sequente, etsi eo loco, quo iteratur, aut omnino plane potuit omitti aut pronomen *αὐτός* vel *οὗτος* illi substitui satis erat.

Etiam hic quantam improbandi atque corrigendi materiam repetitionis ratio Xenophontea doctis hominibus attulerit, e multis exemplis intellegitur. Itaque operam me perditurum esse non spero, si ea in unum cogere parabo, quibus Xenophontis sermoni cognoscendo aliquid utilitatis conferatur.

Praemittam hos locos: Anab. VII 4, 21: *τῇ οὖν ὑστεραίᾳ παραδίδωσιν ὁ Σεύθης τοὺς ὁμήρους, πρεσβυτέρους ἄνδρας ἤδη, τοὺς κρατίστους, ὡς ἔφασαν, τῶν ὀρεινῶν, καὶ αὐτὸς ἔρχεται σὺν τῇ δυνάμει. ἤδη δὲ εἶχε καὶ τριπλασίαν δύναμιν ὁ Σεύθης· ἐκ γὰρ τῶν Ὀδρυσῶν ἀκούοντες ἃ πράττει ὁ Σεύθης πολλοὶ κατέβαινον συστρατευσόμενοι.* Nonne plane supervacanea est duplex nominis proprii repetitio, praesertim cum subiecti loco positum sit atque orationis causa sine damno

---

[1]) Non abhorret ab hoc usu Arr. Anab. III 11, 4 ss.; V 4, 4; 18, 2.

abesse potuerit? Porro in Anab. VI 4, 24: *βεβοηθηκότες γὰρ ἦσαν τοῖς Βιθυνοῖς, βουλόμενοι σὺν τοῖς Βιθυνοῖς, εἰ δύναιντο, ἀποκωλῦσαι τοὺς Ἕλληνας,* si pro *σὺν τοῖς Βιθυνοῖς* scriptum esset *σὺν τούτοις,* nil amplius exspectaremus. Eiusdem generis est, quod legitur in Cyr. V 2, 14: *καὶ πολλὰ δεομένου τοῦ Γωβρύα ἔνδον δειπνεῖν οὐκ ἠθέλησεν, ἀλλ' ἐν τῷ στρατοπέδῳ ἐδείπνει καὶ τὸν Γωβρύαν σύνδειπνον παρέλαβεν.*

Ad horum exemplorum similitudinem accedunt nonnulli loci, qui offenderunt viros doctos. Velut in Anab. III 2, 5: . . . *οὔτε Κῦρον τεθνηκότα αἰδεσθείς* (scil. *ὁ Ἀριαῖος*), *τιμώμενος μάλιστα ὑπὸ Κύρου ζῶντος νῦν πρὸς τοὺς ἐκείνου ἐχθίστους ἀποστὰς ἡμᾶς τοὺς Κύρου φίλους κακῶς ποιεῖν πειρᾶται* priorem genetivum *Κύρου* delevit Kiehlius; at ex ipsis insequentibus non tam temere agendum esse cognoscere poterat. Nam ut vocabula *τοὺς ἐκείνου* [= *Κύρου*] *ἐχθίστους* et *τοὺς Κύρου φίλους* inter se sunt opposita, ita etiam genetivum *Κύρου* ante *ζῶντος* responsionis causa (*Κῦρον τεθνηκότα* — *ὑπὸ Κύρου ζῶντος*), quae in oratione nil habet miri, adiectum esse arbitror.

Cobetus, quem iam saepe in hac commentatione nominavi, loco Anab. I 4, 12: *οἱ δὲ στρατιῶται . . . οὐκ ἔφασαν ἰέναι, ἐὰν μή τις αὐτοῖς χρήματα διδῷ, ὥσπερ τοῖς προτέροις μετὰ Κύρου ἀναβᾶσι παρὰ τὸν πατέρα τοῦ Κύρου, καὶ ταῦτα οὐκ ἐπὶ μάχην ἰόντων, ἀλλὰ καλοῦντος τοῦ πατρὸς Κῦρον* vim infert, cum verba *παρὰ τὸν πατέρα τοῦ Κύρου* «propter ea quae statim sequuntur *καλοῦντος τοῦ πατρὸς Κῦρον*» [1]) uncis includit probante Guilelmo Gemoll. Idem vir in Anab. II 3, 19 (Tissaphernes loquitur): . . . *συνέμειξα βασιλεῖ ἐν τῷ ὑμετέρῳ στρατοπέδῳ ἔνθα βασιλεὺς ἀφίκετο, ἐπεὶ Κῦρον ἀπέκτεινε καὶ τοὺς ξὺν Κύρῳ βαρβάρους ἐδίωξε σὺν τοῖσδε κτλ.* verba *ἔνθα . . . ἀπέκτεινε,* quae «ludimagistro et discipulis dignam annotatiunculam» esse iudicat [2]), delet. At si nihil superfluum huiusmodi admittere voluit, cur in Anab. II 6, 4: *ἔρχεται* (scil. *ὁ Κλέαρχος*) *πρὸς*

---

1) Novae lectiones p. 409.
2) Novae lectiones p. 424.

Κῦρον, καὶ ὁποίοις μὲν λόγοις ἔπεισε Κῦρον ἄλλῃ γέγραπται, δίδωσι δὲ αὐτῷ Κῦρος μυρίους δαρεικούς enuntiationem *καὶ ὁποίοις . . . γέγραπται,* quae ipsa quoque «annotatiunculae» speciem praebet, tolerat? Quid enim haec ab illis verbis distare dicimus, quae in suspicionem ille vocavit?

Agnoscimus igitur hunc repetendi usum, qui non nihil facit ad Xenophontis elocutionem simplicem quemque etiam apud Arrianum occurrere docent haec exempla: Anab. III 15, 5: *καὶ Δαρεῖον μὲν οὐ καταλαμβάνει ἐν Ἀρβήλοις, ἀλλὰ ἔφευγεν οὐδέν τι ἐλινύσας Δαρεῖος.* III 6, 2: . . . *τοὺς αἰχμαλώτους ἀφῆκεν Ἀθηναίοις ὅσοι ἐπὶ Γρανίκῳ Ἀθηναίων ἑάλωσαν.* I 29, 1: *καὶ ἀφικνεῖται ἐς Κελαινὰς πεμπταῖος. ἐν δὲ ταῖς Κελαιναῖς ἄκρα ἦν κτλ.* (cf. ad hunc locum Xen. Anab. V 6, 10: *ἂν δὲ πλέητε, ἔστιν ἐνθένδε μὲν εἰς Σινώπην παραπλεῦσαι, ἐκ Σινώπης δὲ εἰς Ἡράκλειαν· ἐξ Ἡρακλείας δὲ οὔτε πεζῇ οὔτε κατὰ θάλατταν ἀπορία κτλ.*). Alia Arriani exempla vide apud Grundmannum p. 21, qui hoc in usu Arrianum cum Herodotea ratione congruere demonstravit. Neque vero ab elocutione Xenophontis exempla illa abhorrere hac comparatione ostendisse me spero, ut etiam hac in consuetudine scribendi Arrianus, utpote qui fere eisdem rebus conscribendis operam daret ac Xenophon, hunc sibi consulto ad imitandum proposuisse mihi videatur.

b) Nomina appellativa repetuntur.

α) Repetitio fit in membris per *καί* inter se iunctis.

Pergamus ad reliqua atque consideremus, quomodo repetantur nomina appellativa aut in eadem enuntiatione aut in sequente. Hic quoque repetendi usus iterum ac saepius offendit viros doctos, ut nihil antiquius habuerint, quam ut offensionem tollerent.

In Anab. IV 3, 22: *Λύκιος δ' ὁ τὴν τάξιν ἔχων τῶν ἱππέων καὶ Αἰσχίνης ὁ τὴν τάξιν ἔχων* (*ἔχων* det.) *τῶν πελταστῶν . . . εἵποντο* Bisschopius alterum *τάξιν* delendum esse censuit, quamquam e locis Anab. II 4, 8: *ἐν δὲ τούτῳ ἧκε Τισσαφέρνης ἔχων τὴν ἑαυτοῦ δύναμιν ὡς εἰς οἶκον ἀπιὼν καὶ Ὀρόντας τὴν ἑαυτοῦ δύναμιν* et Anab. V 4, 28: *καὶ δελφίνων τεμάχη ἐν ἀμφορεῦσιν ηὑρίσκετο*

τεταριχευμένα καὶ στέαρ ἐν τεύχεσι τῶν δελφίνων κτλ. non tam temere agendum esse perspicere potuit.

Haud aliter in fragmentis papyraceis, quae epistulas privatas exhibent, idem vocabulum in singulis membris per *καί* inter se iunctis additur, quamquam abesse potuit: Oxyrh. Pap. III 1903, nr. 529 (saec. II): . . . *δώσεις τῷ αὐτῷ Διονυσίῳ κοτύλας τέσσαρας καὶ σοὶ κοτύλας δύο.* Ibidem nr. 530: . . . *δώσεις Σαραπίωνι τῶι φίλω[ι] . . . δραχμὰς ἑκατὸν καὶ εἰς λ[ό]γον τόκου δραχμὰς ὀκτὼ καὶ σοὶ εἰς δαπάνην τῆς ἱορτῆς δραχμὰς τέσσαρας.*

Repetitionem igitur substantivi in membris per *καί* inter se iunctis fieri apparet, quemadmodum supra p. 61 ss. verbum repeti enucleavimus in membris per particulas copulativas inter se coniunctis.

β) Repetitio fit in membris per particulas adversativas *μέν-δέ* inter se iunctis.

Iam vero in membris per particulas adversativas *μέν-δέ* inter se iunctis substantivum iteratum exhibetur, cuius rei haec exempla afferam: Hell. VI 4, 10: *ἦν δὲ τὸ μὲν τῶν Θηβαίων ἱππικὸν μεμελετηκὸς διά τε τὸν πρὸς Ὀρχομενίους πόλεμον καὶ διὰ τὸν πρὸς Θεσπιᾶς, τοῖς δὲ Λακεδαιμονίοις κατ' ἐκεῖνον τὸν χρόνον πονηρότατον ἦν τὸ ἱππικόν.* Cyr. I 1, 4: *ὁ μὲν Σκύθης καίπερ παμπόλλων ὄντων Σκυθῶν ἄλλου μὲν οὐδενὸς δύναιτ' ἂν ἔθνους ἐπάρξαι, ἀγαπῴη δ' ἂν εἰ τοῦ ἑαυτοῦ ἔθνους ἄρχων διαγένοιτο.* Alia exempla vide Cyr. I 3, 15; de re equ. 3, 5; de vect. 4, 43; 5, 12.

Cuius usus immemor Cobetus et in Anab. VII 5, 7: *οἱ μὲν δὴ στρατιῶται Ξενοφῶντι ἐνεκάλουν ὅτι οὐκ εἶχον τὸν μισθόν· Σεύθης δὲ ἤχθετο αὐτῷ ὅτι ἐντόνως τοῖς στρατιώταις ἀπῄτει τὸν μισθόν* posterius *μισθόν* et in Anab. VII 1, 29: *ἐν γὰρ ταῖς πόλεσίν εἰσι πάντες ταῖς ἐφ' ἡμᾶς στρατευσομέναις, καὶ δικαίως, εἰ βάρβαρον μὲν πόλιν οὐδεμίαν ἠθελήσαμεν κατασχεῖν, καὶ ταῦτα κρατοῦντες, Ἑλληνίδα δὲ εἰς ἣν πρώτην ἤλθομεν πόλιν, ταύτην ἐξαλαπάξομεν* repetitum *πόλιν* delenda esse censuit.

Neque ullo modo probare possum, quod in Hier. 2, 15: *αἱ μὲν γὰρ πόλεις δήπου . . . οὐ ῥάδιον εἰπεῖν ὅσην μὲν ἡδονὴν*

ἔχουσιν ἐν τῷ τρέψασθαι τοὺς πολεμίους, ὅσην δ' ἐν τῷ διώκειν, ὅσην δ' ἐν τῷ ἀποκτείνειν τοὺς πολεμίους prius *τοὺς πολεμίους* Holdenus, posterius Richardsius furca expellere ausi sunt. Quid enim haec repetitionis ratio distat ab illa verbi iterati specie, quam supra p. 74 (cf. imprimis Anab. V 6, 11) distinximus? Huc accedit, quod congruit cum hac quae repudiatur copia verborum hoc exemplum ex epistula papyracea petitum: Pap. Fayûm 112 (a. 99 p. Chr. n.): *Εὖ πυήσις διῶξαι τοὺς σκαφήτρους τῶν ἐλαιώνον καὶ τοὺς ὑποσχ[ει]σμοὺς καὶ διβολήτρους τῶν ἐλαιώνον.* Nonne ratio quaedam intercedit inter hos locos? Certe vestigia popularis dictionis e loco Xenophonteo cognoscuntur, sed vestigia tantum; nam totus hic ambitus verborum non sine arte rhetorica contextus — adhibita est repetitio, quae proprie dicitur (anaphora)[1] — supra sermonem cotidianum effertur.

γ) Repetitio fit in membris particularum *καί-δέ* et *καί-γε* coniunctionibus inter se copulatis.

Huius usus exempla en haec: Hipparch. 7, 14: *οὐδεμία γὰρ οὕτω καλὴ λεία ὡς αἱ φυλακαί, ἣν κρατηθῶσι καὶ εὐεξαπάτητοι δ' εἰσὶν οἱ φύλακες,* ubi repetitio paulum sublevatur variata forma *φύλακες*, et Hier. 4, 5: *ἀντὶ γὰρ τοῦ τιμωρεῖν αἱ πόλεις αὐτοῖς μεγάλως τιμῶσι τὸν ἀποκτείναντα τὸν τύραννον, καὶ ἀντί γε τοῦ εἴργειν ἐκ τῶν ἱερῶν . . . ἀντὶ τούτου καὶ εἰκόνας ἐν τοῖς ἱεροῖς ἱστᾶσιν αἱ πόλεις τῶν ⟨τι⟩ τοιοῦτον ποιησάντων,* ubi Frotscherum offendit repetitum *αἱ πόλεις*.

Ad similitudinem huius loci accedit quodammodo Arrianus in Anab. III 16, 7 s.: *πολλὰ δὲ καὶ ἄλλα κατελήφθη αὐτοῦ . . . τά τε ἄλλα καὶ Ἁρμοδίου καὶ Ἀριστογείτονος χαλκαῖ εἰκόνες. καὶ ταύτας Ἀθηναίοις ὀπίσω πέμπει Ἀλέξανδρος, καὶ νῦν κεῖνται Ἀθήνησιν ἐν Κεραμεικῷ αἱ εἰκόνες κτλ.*, ubi eodem modo ac supra repetitum substantivum abesse potuit.

δ) Substantivum ex sententia secundaria repetitur in enuntiatione primaria.

Exemplo sit Anab. III 4, 44: *οἱ δ' ἐπὶ τοῦ λόφου πολέμιοι ὡς ἐνόησαν αὐτῶν τὴν πορείαν ἐπὶ τὸ ἄκρον, εὐθὺς καὶ*

---

[1]) Cf. supra p. 61, 1.

αὐτοὶ ὥρμησαν ἁμιλλᾶσθαι ἐπὶ τὸ ἄκρον. Eodemque genere scribitur in Anab. II 2, 14: *καὶ τῶν τε Ἑλλήνων οἳ μὴ ἔτυχον ἐν ταῖς τάξεσιν ὄντες εἰς τὰς τάξεις ἔθεον, καὶ Ἀριαῖος κτλ.* (cf. Arr. Anab. III 2, 7: *Ἀλέξανδρος δὲ τοὺς τυράννους μὲν τοὺς ἐκ τῶν πόλεων ἐς τὰς πόλεις πέμπει χρήσασθαι ὅπως ἐθέλοιεν κτλ.*) et in Anab. II 3, 2: *οἱ* (scil. *οἱ κήρυκες*) *δ' ἐπεὶ ἦλθον πρὸς τοὺς προφύλακας, ἐζήτουν τοὺς ἄρχοντας. ἐπειδὴ δὲ ἀπήγγελλον οἱ προφύλακες, Κλέαρχος τυχὼν τότε τὰς τάξεις ἐπισκοπῶν εἶπεν τοῖς προφύλαξι κελεύειν τοὺς κήρυκας περιμένειν κτλ.*, ubi pro *τοῖς προφύλαξι* substitui potuit pronomen *αὐτοῖς*[1]); sed perspicuitatis causa repetitionem factam esse dicimus[2]).

Pertinent ad hanc substantivi repetitionem etiam duo loci, qui viros doctos offenderunt; in libello de rep. Lac. 6, 2: *ἢν δέ τις παῖς ποτε πληγὰς λαβὼν ὑπ' ἄλλου κατείπῃ πρὸς τὸν πατέρα, αἰσχρόν ἐστι μὴ οὐκ ἄλλας πληγὰς ἐπεμβάλλειν τῷ υἱεῖ* Cobeto posterius *πληγάς* e textu eiciendum videtur esse et in Cyr. VI 1, 12: *ὅσοι τε ἵππους ἀπεστέρηνται, ταχὺ πάλιν ἄλλους ἵππους κτήσονται* Herwerdenus repetitionem tollit. Equidem alterum exemplum alterius lectionem bene fulcire existimo, ut nihil habeamus, cur hic mutemus. — Apud Arrianum hoc legimus: Anab. V 23, 4: . . . *ἵνα καὶ λίμνη οὐ μακρὰν τοῦ τείχους ἦν, τοὺς ἱππέας ἐπέταξεν ἐν κύκλῳ τῆς λίμνης, γνοὺς οὐ βαθεῖαν οὖσαν τὴν λίμνην κτλ.*, quo loco Polakius iniuria *τὴν λίμνην* delendum esse censet.

ε) Substantivum ex sententia primaria repetitur in enuntiatione secundaria aut in participiali constructione.

Exempli causa affero Anab. VI 5, 9: *δοκεῖ μοι . . . ἐπιτάξασθαι τῇ φάλαγγι λόχους φύλακας ἵν' ἄν που δέῃ*

---

1) Cf. quod ad locum Anab. IV 4, 21: *οἱ δὲ βάρβαροι ἀκούσαντες τὸν θόρυβον οὐχ ὑπέμειναν, ἀλλ' ἔφευγον· ὅμως δὲ καὶ ἀπέθανόν τινες τῶν βαρβάρων καὶ ἵπποι ἑάλωσαν κτλ.* adnotavit Leopoldus Gautier l. c. p. 126: «tout autre que Xénophon . . . aurait écrit *αὐτῶν* et non *βαρβάρων*».

2) Alia exempla huiusmodi repetitionis aut perspicuitatis aut gravioris confirmationis causa quaesitae vide apud Guilelmum Nitsche (cf. supra p. 49, 1) ad locum Anab. VI 6, 22 (p. 167).

ὦσιν οἱ ἐπιβοηθήσοντες τῇ φάλαγγι καὶ οἱ πολέμιοι . . . ἐμπίπτωσιν εἰς τεταγμένους κτλ. et Anab. IV 8, 12: *ἀλλά μοι δοκεῖ ὀρθίους τοὺς λόχους ποιησαμένους τοσοῦτον χωρίον κατασχεῖν διαλιπόντας τοῖς λόχοις ὅσον ἔξω τοὺς ἐσχάτους λόχους γενέσθαι τῶν πολεμίων κεράτων.* Nil differt ab his locis exemplum Anab. VII 1, 12: *καὶ ἄρδην πάντες πλὴν ὀλίγων ἔξω ἦσαν, καὶ Ἐτεόνικος εἱστήκει παρὰ τὰς πύλας ὡς ὁπότε ἔξω γένοιντο πάντες συγκλείσων τὰς πύλας καὶ τὸν μοχλὸν ἐμβαλῶν,* ubi Hirschigio posterius *τὰς πύλας* delenti non assentior.

Neque vero Arrianus ab hac repetendi ratione abhorret, cuius hoc exemplum investigavi: Anab. I 2, 5: *οἱ δὲ . . . παιόμενοι ἐξέθεον ἐπὶ τοὺς τοξότας, ὅπως ἐς χεῖρας ξυμμίξειαν γυμνοῖς οὖσι τοῖς τοξόταις.* Alia huiusmodi exempla exhibet Arrianus in Anab. III 3, 4; V 14, 4; 21, 4.

Eundem usum hoc exemplo e papyris petito demonstrare licet: Oxyrh. Pap. VII 1910, nr. 1067 (saec. III): *γενοῦ οὖν πρὸς Θέωνα καὶ εἰπὲ αὐτῷ περὶ τῆς κέλλας ὅτι ἐσφραγίσθη τὴν κέλλαν αὐτοῦ μηδὲν ὀφείλων, καὶ εἰπὲ Πετεχῶντι κτλ.*

3. De repetitione post enuntiationem interpositam facta, quae epanalepsis appellatur.

a) Participium aut sententia secundaria repetitur.

Iam supra in anacoluthorum generibus expositis post longiorem enuntiationem interpositam verba quaedam perspicuitatis causa repeti explicavimus[1]), quae loquendi ratio epanalepsis a grammaticis nominatur[2]).

Nunc perlustremus simplicem illam epanalepsim, quae non coniuncta est cum anacoluthia quadam, sed et ipsa adhibetur post enuntiationem interpositam, ut oratio planior fiat faciliorque ad intellegendum[3]). Ac primum quidem quomodo participium aut sententia secundaria repetatur exponamus.

---

[1]) p. 18; 23 ss.

[2]) Quod ad definitionem epanalepseos attinet, satis habeo delegasse lectorem ad p. 18, 1.

[3]) Cf. supra p. 25, 2.

Huc pertinet exemplum Ages. 2, 31: *ἐνταῦθα δὴ Ἀγησίλαος γνοὺς ὅτι εἰ μὲν μηδετέρῳ συλλήψοιτο, μισθὸν οὐδέτερος λύσει τοῖς Ἕλλησιν, ἀγορὰν δὲ οὐδέτερος παρέξει, ὁπότερός τ' ἂν κρατήσῃ, οὗτος ἐχθρὸς ἔσται· εἰ δὲ τῷ ἑτέρῳ συλλήψοιτο, οὗτός γε εὖ παθὼν ὡς τὸ εἰκὸς φίλος ἔσοιτο, οὕτω δὴ κρίνας . . . τὸν μὲν . . . χειροῦται κτλ.* Aliud exemplum legimus in Cyr. V 5, 21: *ἐπεὶ δ' αὖ καὶ πρὸς τοῦτο ἐσίγα ὁ Κυαξάρης, Ἀλλ' εἰ μηδὲ τοῦτο, ἔφη* (scil. *ὁ Κῦρος*), *βούλει ἀποκρίνασθαι, σὺ δὲ τοὐντεῦθεν λέγε, εἴ τι αὖ ἠδίκουν, ὅτι σοῦ ἀποκριναμένου ἐμοὶ ὡς οὐκ ἂν βούλοιο, εὐθυμουμένους ὁρῶν Μήδους, τούτου παύσας αὐτοὺς ἀναγκάζειν κινδυνεύσοντας ἰέναι, εἴ τι αὖ σοι δοκῶ τοῦτο χαλεπὸν ποιῆσαι ὅτι ἀμελήσας τοῦ ὀργίζεσθαί σοι ἐπὶ τούτοις πάλιν ᾔτουν σε κτλ.*

Quae dicendi ratio ex ipsa sermonis cotidiani natura sequitur, id quod comprobare liceat hoc exemplo papyraceo: Oxyrh. Pap. I 1898, nr. 114 (saec. II/III): *ἐὰν μὴ ἀρκεσθῇ τὸ κέρμα διὰ τὴν ἀμέλειαν τῆς κυρίας ἡμῶν Θεαγενίδος, ἐὰν οὖν μὴ ἀρκεσθῇ τὸ κέρμα, πώλησον τὰ ψέλια εἰς συμ[[ρω]]πλήρωσιν τοῦ κέρματος.* Hanc epanalepsim cum e simplici atque naturali genere dicendi explicemus necesse sit, etiam in aliorum populorum sermone, velut in nostra consuetudine loquendi, inveniri facile intellegitur exemplisque comprobatur.

Alia exempla enuntiationis secundariae repetitae exstant in Cyr. V 1, 6: *ὡς δ' ἡμῶν ὁ γεραίτατος εἶπε Θάρρει, ὦ γύναι· καλὸν μὲν γὰρ κἀγαθὸν ἀκούομεν καὶ τὸν σὸν ἄνδρα εἶναι . . .* (sequitur periodus satis longa) *. . .· ὡς οὖν τοῦτο ἤκουσεν ἡ γυνή, περικατερρήξατό τε τὸν ἄνωθεν πέπλον καὶ ἀνωδύρατο* et in Cyr. VIII 1, 14 s.: *ὡς γὰρ τὰ πολλὰ δεκάδαρχοι μὲν δεκαδέων ἐπιμέλονται, λοχαγοὶ δὲ δεκαδάρχων, χιλίαρχοι δὲ λοχαγῶν . . . καὶ οὕτως οὐδεὶς ἀτημέλητος γίγνεται . . .· ὥσπερ οὖν ταῦτ' ἔχει, οὕτω καὶ ὁ Κῦρος συνεκεφαλαιώσατο τὰς οἰκονομικὰς πράξεις* et in Hell. VI 5, 25: *ἐπεὶ μέντοι ἧκον ἐκ τε Καρυῶν λέγοντες τὴν ἐρημίαν καὶ ὑπισχνούμενοι αὐτοὶ ἡγήσεσθαι . . .· πάντα οὖν ταῦτα ἀκούοντες καὶ παρὰ πάντων οἱ Θηβαῖοι ἐπείσθησαν κτλ.*

His omnibus locis participium aut sententia secundaria forma magis minusve variata repetitur.

b) Substantivum aut pronomen repetitur.

Deinde substantivis aut pronominibus toti ambitui verborum praepositis atque post periodum iteratis occurrimus, velut in Hell. VII 1, 26: *οἵ γε μὴν Ἠλεῖοι ἐπεὶ ἀπαιτοῦντες τὰς πόλεις τοὺς Ἀρκάδας . . . ἔγνωσαν αὐτοὺς τοὺς μὲν ἑαυτῶν λόγους ἐν οὐδενὶ λόγῳ ποιουμένους, τοὺς δὲ Τριφυλίους καὶ τοὺς ἄλλους τοὺς ἀπὸ σφῶν ἀποστάντας περὶ παντὸς ποιουμένους, ὅτι Ἀρκάδες ἔφασαν εἶναι, ἐκ τούτων αὖ καὶ οἱ Ἠλεῖοι δυσμενῶς εἶχον πρὸς αὐτούς.*

Ex Arriano praesto mihi est exemplum Anab. II 10, 4: *οἱ δὲ Ἕλληνες οἱ μισθοφόροι οἱ ξὺν Δαρείῳ, ᾗ διέσχε τῶν Μακεδόνων ἡ φάλαγξ* . . . (insequitur longa verborum comprehensio) . . ., — *ταύτῃ ἐμβάλλουσιν οἱ Ἕλληνες τοῖς Μακεδόσιν* . . .[1]) Eodem spectat Xen. Anab. I 8, 13: *ὁρῶν δὲ ὁ Κλέαρχος τὸ μέσον στῖφος καὶ ἀκούων . . . ἀλλ' ὅμως ὁ Κλέαρχος οὐκ ἤθελεν κτλ.*

Pronominis *ἐγώ* initio ambitus positi repetitio fit et in Cyr. V 1, 24: *ἀλλ' ἐγὼ μέν, ἔφη, ὦ βασιλεῦ· βασιλεὺς γὰρ . . . δοκεῖς . . . πεφυκέναι* . . . (§ 26) *ἐγὼ δέ, ὦ Κῦρε, καὶ ὧν ἐγὼ κρατῶ καὶ μενοῦμεν κτλ.* et in Anab. VI 6, 15: *ἐγὼ μὲν οὖν, καὶ γὰρ ἀκούω Δέξιππον λέγειν . . ., ἐγὼ μὲν οὖν κτλ.*

In Cyr. I 3, 2: *καὶ ὁρῶν δὴ αὐτὸν κεκοσμημένον* (scil. *τὸν Ἀστυάγην*) . . · *ὁρῶν δὴ τὸν κόσμον τοῦ πάππου ἐμβλέπων αὐτῷ ἔλεγεν κτλ.* participium *ὁρῶν* eadem forma repetitur, participium autem cum pronomine coniunctum *αὐτὸν κεκοσμημένον*, quod ex illo pendet, variatur substantivis *τὸν κόσμον τοῦ πάππου.*

c) Particulae quaedam repetuntur.

Ab huiusmodi epanalepsi non disiungendam esse puto particularum quarundam repetitionem, quae ipsa quoque fit in longo

---

[1]) Cf. Grundmannus l. c. p. 26.

ambitu verborum post enuntiationem interpositam[1]). Huc referendum illud est, quod particulae *ὅτι* et *ὡς* iterantur atque id, ut facile demonstratur, duobus modis: altera species cognoscitur, ut exemplo utar, ex Anab. V 6, 19: *Τιμασίων δὲ ὁ Δαρδανεὺς καὶ Θώραξ ὁ Βοιώτιος . . . λέγουσιν ὅτι εἰ μὴ ἐκποριοῦσι τῇ στρατιᾷ μισθὸν ὥστε ἔχειν τὰ ἐπιτήδεια ἐκπλέοντας, ὅτι κινδυνεύσει μεῖναι τοσαύτη δύναμις ἐν τῷ Πόντῳ,* altera ex Hell. VI 4, 6: *τῶν δ' αὖ Θηβαίων οἱ προεστῶτες ἐλογίζοντο ὡς εἰ μὴ μαχοῖντο, ἀποστήσοιντο μὲν αἱ περιοικίδες αὐτῶν πόλεις, αὐτοὶ δὲ πολιορκήσοιντο· εἰ δὲ μὴ ἕξοι ὁ δῆμος ὁ Θηβαίων τἀπιτήδεια, ὅτι κινδυνεύσοι καὶ ἡ πόλις αὐτοῖς ἐναντία γενέσθαι.* Illic igitur particula post sententiam interpositam in eodem enuntiationis membro repetitur, hic autem in altero. Cum loco Hell. VI 4, 6 conferenda sunt haec exempla: Anab. III 5, 15; Hipparch. 1, 11 s.; 8, 20; Ages. 8, 3; 9, 7; cum altero loco Anab. V 6, 19 haec: Anab. VII 4, 5; Cyr. VI 4, 5; Hell. VI 4, 37; 5, 13; de vect. 5, 1.

Eodem spectat, quod particula *εἰ* iteratur in Anab. III 2, 35: *οὐκ ἂν οὖν θαυμάζοιμεν εἰ οἱ πολέμιοι, ὥσπερ οἱ δειλοὶ κύνες τοὺς μὲν παριόντας διώκουσί τε καὶ δάκνουσιν, ἢν δύνωνται, τοὺς δὲ διώκοντας φεύγουσιν, εἰ καὶ αὐτοὶ ἡμῖν ἀπιοῦσιν ἐπακολουθοῖεν,* atque particula *μή* post aliquot verba interiecta in Anab. III 2, 25: *ἀλλὰ γὰρ δέδοικα μή, ἂν ἅπαξ μάθωμεν ἀργοὶ ζῆν καὶ ἐν ἀφθόνοις βιοτεύειν, καὶ Μήδων δὲ καὶ Περσῶν καλαῖς καὶ μεγάλαις γυναιξὶ καὶ παρθένοις ὁμιλεῖν, μὴ ὥσπερ οἱ λωτοφάγοι ἐπιλαθώμεθα τῆς οἴκαδε ὁδοῦ.*

Has omnes repetitionis species maxime notabiles esse cum mihi persuaserim, nunc quid proprium huiusmodi elocutionis esse videatur paucis explicabo.

---

[1]) Cf. quae universe de hac repetitione dicit Guilelmus Baehrens, Beiträge zur lat. Syntax, Philologus Suppl. XII 1912, p. 407: «Wenn wir einen langen Satz aussprechen, der wieder durch Nebensätze zerhackt und kompliziert wird, kann es passieren, daß eine Konjunktion wiederholt wird. Leicht kann einem ein Ausdruck wie: er hörte, daß, als sein Bruder im Begriffe war, die große Reise zu unternehmen, daß er gerade in diesem Moment erkrankt war, entfallen. Nach dem Nebensatz wird das schon einmal gesagte „daß" einfach wiederholt. Das findet sich bekanntlich auch im Griechischen».

Licet flagitetur nonnumquam ipsa oratione aut perspicuitatis aut gravioris confirmationis causa repetitio verborum et nominum, persaepe sine damno deesse potuit haec orationis ubertas vel abundantia, quae ad simplicitatem sermonis non minus referenda est quam anacoluthia. Hoc in repetendi usu similitudinem esse demonstravimus elocutioni Xenophonteae et cum Arriani dictione et cum populari sermone, quem ex epistulis privatis in papyris exstantibus exposuimus.

Postquam igitur huius repetitionis simplicitatem exemplis satis comprobavimus, nunc redire licet ad ea, quae supra p. 8—11 protuli, cum de Xenophontis simplicitate universe agerem atque quaererem, utrum nativa esset an arte elaborata. Quod etsi certe diiudicari non potest, tamen, quemadmodum supra p. 10 simplicitatem artem consulto usurpatam interpretari malui et ex anacoluthis Xenophonteis studium sermonis cotidiani imitandi elucere dixi[1]), ita etiam repetitionem dedita opera quaesitam atque in ipso sermone populari imitando artem maximam, quae ob hanc popularis sermonis speciem minime apparet, conspiciendam esse haud negaverim. Neque enim verborum repetitionem minus consulto petitam esse persuasum habeo quam verborum, cum iterantur, variationem[2]), cui quantam Xenophon operam dederit intellegitur iam ex Schachtii dissertatione[3]). Nonne illum eodem studio huic repetitioni indulsisse arbitrari debemus? Mihi quidem nihil obstare videtur, quin id faciamus[4]).

C. Quid intersit inter singula scripta Xenophontea respecta arte rhetorica, quae apparet ex contrapositorum frequentatione, exponitur.

Differre inter se aliquantum singula Xenophontis opera cum iam per se constet, quia antiquos scriptores dicendi genus ad

---

[1]) Cf. imprimis p. 59.

[2]) Cf. supra p. 75 s.

[3]) Cf. supra p. 8, 3.

[4]) Cf. Guilelmus Gemoll, qui in censura, quam scripsit de Leopoldi Gautier dissertatione (Berl. Phil. Wochenschrift 1912, 1151 ss.), defendens Xenophontis dictionem ab obtrectatoribus proprium ei dicendi genus de industria excultum his verbis attribuit: «gestehen wir einem Seneca oder Tacitus zu, daß sie sich mit Bewußtsein einen eigenartigen Stil geschaffen haben, so dürfen wir es Xenophon nicht absprechen».

unumquodque genus argumenti accommodavisse notum est — neque enim quisquam, cum aut historiam aut laudationem scriberet, aliis se legibus vinctum esse censuit nisi quae aut ad historiam aut ad laudationem pertinerent —, ex hac commentatione paulo manifestius fore spero dissimilitudinem quandam inter singula scripta intercedere, quam parum in Xenophontis operibus adhuc observatam esse inveni[1]).

Iam ita quaestionem instituam, ut opera omnia Xenophontea sive tota sive pro rata tantum parte ad calculos vocata conferantur inter se, quantum attinet ad contraposita (*ἀντίθετα*) et formae et cogitationum, quae aut coniuncta sunt cum aliis figuris rhetoricis (velut isocolo, homoeoteleuto, anaphora) aut huius ornatus expertia exstant.

Sed priusquam ad propositum veniamus, paucis exponatur necesse est, quid sibi velit divisio illa contrapositorum et formae et cogitationum, quam adhibitam esse inveni ab Eduardo Norden[2]). Ne longus sim in explicando hoc orationis ornamento, contraposita formae exprimuntur aut duobus aut pluribus enuntiationis membris inter se oppositis, quae particulis quibusdam coniuncta (velut *μέν-δέ, τε (καί)-καί, οὐ-ἀλλά* vel similibus) in variam formam rediguntur; simul, id quod magni est momenti, persaepe aequabili concinnaque structura verborum per singula membra continuata — ita interpretari liceat vocabulum «Parallelismus» — ornantur. Huius contrapositi formae haec sunt exempla: Isocr. 4, 149: *οἱ μὲν γὰρ αὐτῶν κακῶς ἀπώλονθ' οἱ δ' αἰσχρῶς ἐσώθησαν.* Xen. Anab. II 5, 20: *μόνος μὲν πρὸς θεῶν*

---

[1]) Huius rei mentionem facit Eduardus Norden (Die antike Kunstprosa I³ 1915, p. 103, 1), qui his verbis Agesilaum Xenophonteum breviter describit: «in welchem entsprechend dem Zweck des Enkomion . . . das Rhetorische besonders stark hervortritt». Cf. dissertatio, quam scripsit Fridericus Otto Wissmann «De genere dicendi Xenophonteo deque prioris Hellenicorum partis condicione quaestiones selectae» (Gissae 1888). Commemorandus hic est etiam Alfonsus Opitz «Quaestiones Xenophonteae: De Hellenicorum atque Agesilai necessitudine» (Vratislav. 1912). Ad illud, quod modo exposui, pertinet etiam, quod dicit Ericus Lippelt «Quaestiones biographicae» (Bonnae 1889) p. 14: «Alia vero dictio eius est, qui res gestas narrat, alia eius, qui virtutes hominis rhetorum modo ornare studet».

[2]) l. c. multis locis, velut p. 19, 1; 206; 289; 339; 413.

ἀσεβής, μόνος δὲ πρὸς ἀνθρώπων αἰσχρός (exemplum coniunctum cum anaphora et isocolo). Xen. Ages. 9, 5: *τὸν δὲ ἑώρα φεύγοντα μὲν θάλπη, φεύγοντα δὲ ψύχη* (coniunctum cum anaphora, isocolo, homoeoteleuto). Anab. VII 4, 22: *πολλοὺς μὲν ὁπλίτας, πολλοὺς δὲ πελταστάς, πολλοὺς δὲ ἱππεῖς* (anaph., isoc., hom.)[1]). Haec formae contraposita cum maximam exhibeant artem rhetoricam, nobis in hac quaestione instituenda gravissima sunt — dico contraposita cum aliis figuris ornantibus coniuncta, quae «contraposita formae ornata» nominabo. Hoc ipso ornatu differunt a ceteris formae contrapositis, quae «contraposita formae ornatu carentia» dicam.

E contrario contraposita cogitationum non illa forma respondente (velut *μέν ... δέ, οὐ ... ἀλλά*) significantur[2]), sed ea re, quod scriptores cogitationem alteram alteri cogitationi contrario nomine opponunt neque ulla particula ad coniungendum apta utuntur. Liceat huius figurae haec exempla afferre: primum illud praeclarum Gorgiae[3]): *τοιγαροῦν αὐτῶν ἀποθανόντων ὁ πόθος ... ἀθάνατος οὐκ ἐν ἀθανάτοις σώμασι ζῇ οὐ ζώντων*, deinde Xen. de rep. Lac. 10, 8: *οὕτω δὲ παλαιοὶ ὄντες* (scil. *οἱ Ἡρακλεῖδαι*) *ἔτι καὶ νῦν τοῖς ἄλλοις καινότατοί εἰσι.* Hac in arte Xenophontem a Gorgia multum didicisse apparet ex Xen. Conviv. 2, 26: *ἢν δὲ ἡμῖν οἱ παῖδες μικραῖς κύλιξι πυκνὰ ἐπιψακάζωσιν, ἵνα καὶ ἐγὼ ἐν Γοργιείοις ῥήμασιν εἴπω,* ubi Xenophon ipse, cum verba opposita *μικραῖς* et *πυκνά* adhibet, exemplar praebet Gorgieae elocutionis[4]).

---

[1]) Ut exhibeam exemplum, quod Nordenus affert p. 288, delego lectorem ad Sen. controv. X 4, 21: *πάλαι μὲν ἐκθέτοις κίνδυνος ἦν τὸ ῥιφῆναι, νῦν δὲ τὸ τραφῆναι.*

[2]) Cf. Ed. Norden l. c., velut p. 19, 1: «Auch gedanklichen, in der äußeren Form nicht zum Ausdruck kommenden Antithesen des Heraklit ... stellen sich berüchtigte Bonmots des Gorgias an die Seite»; p. 289: «ohne Parallelismus (Gedankenantithese)»; p. 338 s., ubi Tacitum contrapositis studuisse his verbis exponit: «Daher ... seine Vorliebe für pointierte ... Sentenzen, die am liebsten in der Form der Antithese, und zwar der gedanklichen Antithese auftreten, selten ... in der Figur des äußerlichen Parallelismus». Cf. exempli causa Tac. Hist. I 88: per incerta tutissimi.

[3]) Cf. Diels Vorsokr. II[4] 76 B 6 (p. 248, 29 s.).

[4]) Adde hoc exemplum, quod praebet Nordenus l. c. p. 207: Nepos Att. 7, 3: vetere instituto vitae effugit nova pericula.

Haec quoque cogitationum contraposita aliis figuris rhetoricis interdum ornantur, id quod docent hi loci: Xen. Cyr. I 6, 13: τὸ πᾶν διαφέρει ἐν παντὶ ἔργῳ προθυμία ἀθυμίας, ubi paronomasia subest, et Xen. Anab. II 4, 7: . . . τὰ ἑαυτοῦ πιστὰ ἄπιστα ποιῆσαι (homoeoteleuton coniunctum est cum paronomasia). Proprium igitur est horum contrapositorum vocabula inter se opposita artissime alterum cum altero coniungi solere[1]). Eodem modo, quo supra p. 90 «contraposita formae ornatu carentia» distinxi a «contrapositis formae ornatis», etiam hic «contraposita cogitationum ornatu carentia» seiungo a «contrapositis cogitationum ornatis».

His praemissis, quae universe ad rationem huius quaestionis spectant, nunc transeo ad singulorum operum comparationem, quam ratione illa statistica quae dicitur usus tabula exhibeo:

(Cf. Tabula p. 92.)

Breviter addantur necesse est, quae ad hanc tabulam illustrandam pertineant:

omnia opera divisi in tria genera (scripta historica, philosopha, technica, ut ita dicam — Agesilaum a scriptis historicis seiunxi ob laudationis propriam speciem —) atque ita exhibui, ut, quae ad idem genus pertinent, enumerarem eo ordine, quem eruit Guilelmus Dittenberger e frequentatione particulae μήν investigata[2]). Hunc ille ordinem statuit:

1. Cynegeticus   Hellenic. prima pars (I 1, 1—II 3, 10)
2. Oeconomicus
3. Memorabilia Hieron Convivium Hellenicorum altera pars (II 3, 11—V 1)
   Anabasis   Cyropaedia
4. Hellenicorum tertia pars (V 2—VII)
   de vectigalibus   Hipparchicus
   de re equestri   Agesilaus
   de re publica Lacedaemoniorum.

Apologiam, quam ille non respexit, inter Oeconomicum et Memorabilia posui; nam ante Memorabilia illa certe est conscripta,

---

1) Cf. C. P. Schulze, Quaestiones grammaticae ad Xenophontem pertinentes, Progr. d. Friedr. Werd. Gymn. Berlin, Ostern 1888, p. 4.

2) Herm. 16, 1881, p. 330 s.

Opera	Contraposita formae		Contraposita cogitationum		Contraposita in summa
	ornatu carentia	ornata	ornatu carentia	ornata	
Hell. (I 1, 1—II 3, 10) 1297 lin. Teubn.	109	19	1	1	130
Contrap. ad 100 lin. relata	*8,4*	*1,46*	*0,07*	*0,07*	*10*
Hell. (II 3, 11-V 1, 36) 661*	79	38	1	3	121
	11,95	*5,74*	*0,15*	*0,45*	*18,3*
Anab. 7374	651	323	61	15	1050
	8,83	*4,38*	*0,83*	*0,2*	*14,24*
Cyrop. 848*	91	28	3	3	125
	10,73	*3,3*	*0,35*	*0,35*	*14,73*
Hell. (V 2,1-VII 5,27) 595*	66	36	7	1	110
	11,09	*6,05*	*1,17*	*0,17*	*18,5*
Oecon. 2173	220	116	33	9	378
	10,12	*5,34*	*1,52*	*0,41*	*17,4*
Apol. 252	35	5	6	1	47
	13,38	*1,98*	*2,38*	*0,39*	*18,13*
Mem. 813*	117	22	16	1	156
	14,39	*2,7*	*1,96*	*0,12*	*19,2*
Hieron 759	104	52	15	4	175
	13,7	*6,85*	*1,98*	*0,53*	*23,06*
Conviv. 728*	92	34	7	1	134
	12,63	*4,67*	*0,96*	*0,13*	*18,4*
Cyneg. 1062	140	17	3	4	164
	13,18	*1,6*	*0,28*	*0,37*	*15,43*
de vect. 491	62	32	5	2	101
	12,62	*6,51*	*1,01*	*0,4*	*20,54*
Hipparch. 745	76	49	18	5	148
	10,2	*6,58*	*2,42*	*0,67*	*19,87*
de re equ. 488*	62	20	8	1	91
	12,7	*4,09*	*1,63*	*0,2*	*18,62*
de rep. Lac. 646	70	46	18	3	137
	10,83	*7,12*	*2,78*	*0,46*	*21,2*
Ages. 962	156	82	28	6	272
	16,22	*8,52*	*2,91*	*0,62*	*28,27*

quia in Mem. capite extremo (IV 8) nonnulla ex Apologia iterantur[1]).

Rationem ipsam ita institui, ut numeros variorum contrapositorum referrem ad centum uniuscuiusque operis lineas[2]); velut in Hellenicorum prima parte numeri 109; 19; 1; 1; 130 significant omnia contraposita et formae et cogitationum, quae inveniuntur, numeri *8, 4*; *1, 46*; *0, 07*; *0, 07*; *10* exhibent illa contraposita ad centum lineas relata. Asterisco (*) notavi ea scripta, quae non tota, sed pro rata tantum parte in hac quaestione respexi; sunt haec opera: Hell. (altera pars) II 3, 11 — II 4, 43; Cyrop. I 1—4; Hell. (tertia pars) VI 1—3; Mem. I 1—4; Conviv. 1—4; de re equ. 1—7. Cynegetici prooemium (c. 1, 1—17) a me neglectum esse moneo lectorem, quia elocutio huius partis plane abhorret a dictione Xenophontea, quae e ceteris scriptis apparet[3]).

Nunc quid ex hac tabula colligendum sit exponam.

Primum Agesilai species rhetorica, quae proprium colorem affert huic laudationi ad Euagorae Isocratei exemplum conscriptae, contrapositorum multitudine cum ceteris omnibus collata manifesto demonstratur. Hic frequens contrapositorum usus etsi iam ab Ivone Bruns dignus est iudicatus, quem ille imprimis adnotaret[4]), tamen optime confirmatur hac comparatione cum ceterorum operum contrapositis facta.

Deinde, id quod multo gravius est, videamus, quid generibus operum respectis ex hac tabula concludi possit.

Ordiamur a scriptis historicis atque animum attendamus ad primam Hellenicorum partem. Haec etiamsi ad idem genus pertineat, quod spectant altera et tertia pars atque Anabasis et

---

[1]) Cf. Christ-Schmid, Griech. Lit. I⁶ 1912, p. 497, 507, 510.

[2]) Hac in re editionibus operum Xenophonteorum in bibliotheca Teubneriana factis ducibus utor.

[3]) Cf. L. Radermacher, Rh. Mus. 52, 1897, 26 s.; Ed. Norden, l. c. p. 432: «Es läßt sich ... aus dem Stil beweisen, daß das Proömium ein Produkt der zweiten Sophistik ist».

[4]) Ivo Bruns, Das literarische Porträt der Griechen im 5. und 4. Jahrh. v. Christi Geburt, Berlin 1896, p. 127. Haec ille verba facit de ultimo Agesilai capite (l. c.): «Vom Anfang bis zum Ende bedient er sich dabei jener eigentümlichen Antithesen, die Isokrates als besonders geeignet für diesen Zweck gewählt hatte».

Cyropaedia, tamen in unaquaque contrapositorum specie ab illis differt. Idem iam demonstravit Fridericus Otto Wissmann, quem supra p. 89, 1 laudavi, sed quod ille inde collegit, nullo modo mihi probatur; concludit enim p. 34 veri simile esse primam partem Hellenicorum in angustum coactam esse ab epitomatore quodam, quia, qualis ad nostram aetatem pervenerit, figurarum usu nimium quantum ab Anabasi et Cyropaedia recedat. Discrepat ille vel maxime a Guilelmo Dittenberger, qui dicendi genus Xenophonteum quodammodo mutatum per annos esse explicavit[1]), neque minus ab Adalberto Roquette[2]), qui dissimilitudinem, quam et Hellenicorum primae parti et Cynegetico cum ceteris operibus esse ex usu particularum *μήν, οὖν, δή, τοι, γε, τε, ἄρα, δήπου, αὖ* ostendit, «non casui, sed arti scriptoris nondum cultae atque expolitae»[3]) tribuendam esse censuit[4]).

Equidem assensus Adalberto Roquette primam Historiae Graecae partem anno 393 vel potius paulo post hunc annum conscriptam esse concedo[5]) atque contrapositorum usum, qui differt a ceteris Hellenicorum partibus neque minus ab Anabasi et Cyropaedia, dictioni Xenophonteae arte illa rhetorica tum nondum ita excultae tribuo, ut in ceteris scriptis historicis posterioris temporis factum esse

---

[1]) Cf. l. c. p. 333: «Daß aber wirklich, und in welchem Grade und in welcher Richtung der Gebrauch des Xenophon sich im Laufe der Zeit gewandelt hat, das wird jeder empfinden, der zwei an den entgegengesetzten Enden der Reihe stehende Schriften, etwa den Cynegeticus und Hipparchicus, unmittelbar hintereinander aufmerksam durchliest».

[2]) De Xenophontis vita, diss. Regimont. 1884.

[3]) l. c. p. 45.

[4]) Roquettius hunc operum ordinem statuit:

Cyneg.	a. 402	Hell. B	post 371
Hell. A	393	Hipparch.	365
Oecon.	387	Cyrop.	post 364
Mem.	ca. 384/80	Hell. C	357
Hier.	post 384	Ages.	post 357
Conviv.	380/76	de vect.	355
de rep. Lac.	378/71	de re equ.	post Hipp.
Anab.	371		

[5]) Cf. Roquette, l. c. p. 56; 112.

apparet; intercedunt enim plus viginti anni inter Hellenicorum primam et alteram partem.

Haec scribendi mutatio et e summa contrapositorum et e contrapositis formae ornatis optime intellegitur atque id maxime operum ordine Roquettiano usurpato. Huic ordini non respondet Cyropaedia, quae minorem numerum contrapositorum exhibet quam Historiae Graecae altera pars; sed et Cyropaedia et Hellenicorum altera parte totis ad calculos vocatis forsitan haec dissimilitudo paulum sublevetur.

Pauca verba hic facere liceat de Cyropaediae capite extremo (VIII 8), quod a ceteris eiusdem operis libris plane seiungendum atque post Cyropaediam confectam scriptum esse demonstravit Gustavus Eichler dissertatione, quam scripsit «de Cyrupaediae capite extremo (VIII 8)» (diss. Lips. [Grimmae] 1880). E summa contrapositorum — hoc capite inveniuntur 51 contraposita vel 30 contraposita ad 100 lineas Teubnerianas relata — Cyropaediae caput extremum, quod «opusculum est, non operis particula» [1]), ad maximam Agesilai similitudinem accedere agnoscitur.

Mutatum igitur esse dicendi genus Xenophonteum quodammodo per annos ex hac contrapositorum diversa frequentatione colligitur.

Neque vero, ut ad scripta technica transeam, ea re de sententia mea demoveor, quod in Cynegetico, quem Xenophonti non abiudicandum, sed primum omnium Xenophonteorum operum scriptum esse persuasum habeo [2]), multo ampliorem contrapositorum ornatum adhibitum esse quam in Hellenicorum prima parte discimus; neque enim ille, quippe qui ad aliud genus pertineat, temere conferendus est cum Historiae Graecae prima parte. At si hoc antiquissimum Xenophontis opus comparaverimus cum ceteris eiusdem generis scriptis atque iis ad multo posterius tempus referendis, aliquanto superari illud ab his consimilibus operibus apparebit. Hoc optime cognoscitur et e contrapositorum summa et e contrapositis cogitationum ornatus expertibus et e contrapositis formae ornatis. Nonne hic idem

---

[1]) Cf. Eichler, l. c. p. 87.

[2]) Cf. Cobet, Novae lectiones, p. 774; Dittenberger, l. c. p. 330; Mewaldt, Herm. 46, 1911, p. 92; O. Pfoertner, De Xenophontis qui fertur Cynegetico quaestiones grammaticae, diss. Gryphiswald. 1925, p. 40.

perspicitur, quod in Hellenicorum prima parte cum ceteris historicis scriptis collata effici vidimus? Nonne Xenophontem contraposita, quae apparent ex his operibus technicis, paulatim arte rhetorica illuminare consuevisse statuendum est?

Idem cognoscitur aliqua ex parte etiam e scriptis philosophis, quae summam contrapositorum non nihil crescere nos docent excepto Convivio; sed haud scio an haec distantia ea re sit orta, quod pro rata tantum parte hoc scriptum pervestigavi.

Hoc igitur gravissimum, ut iam omnia comprehendam, ex hac tabula, quod ad genera operum attinet[1]), concluditur: si modo operum ordinem maxime a Guilelmo Dittenberger constitutum intra singula genera sequimur, Xenophontem per annos intra eadem genera scriptorum, non intra totum scriptorum corpus ad largiorem artis rhetoricae usum pervenisse apparet.

---

[1]) Breviter etiam id adnotandum est, quod singulorum operum argumentum (dico orationes et rerum gestarum narrationes) multum valet ad contrapositorum frequentationem.

Velut Anabasis, quae praeter simplicis narrationis partes continet satis magnam copiam orationum sive longiorum sive breviorum, aliquantum differre docet orationes a ceteris operis partibus: in narrationis partibus, quae 4914 lineas Teubnerianas complent, occurrunt 534 contraposita in summa, in orationibus, quae 2460 lineis continentur, exstant 516. Quae si ad centum lineas rettuleris, hi numeri efficientur: in narrationis partibus exhibentur 11, in orationibus 21 contraposita.

Quid igitur? Nonne manifesto apparet aliud esse orationes contrapositis adhibitis illuminare, aliud narrationis partes exornare?

Index

locorum Xenophonteorum et Arrianeorum et exemplorum in papyris exstantium.[1])

A.

---

[1]) Congeruntur ii solum loci, qui gravioris sint momenti, atque ita congeruntur, ut primum exhibeantur, qui ad anacolutha pertinent (A), deinde, qui ad repetitionem sunt referendi (B).

B.

Vita.

Natus sum Gualterus Horn in vico Neomarchico prope Landsbergam sito, cui nomen est Wepritz, a. d. IX kal. Oct. anni 1900 patre Ewaldo, matre Maria e gente Scheel, quibus utrisque adhuc viventibus valde gaudeo. Civis sum Borussiae, fidei addictus evangelicae.

A vere anni 1910 gymnasium regium Landsbergense per novem annos frequentavi, cuius inter praeceptores imprimis Eugenem Grünwald nec non Franciscum Charitium, viros erga me benignissimos, grata memoria prosequor.

Maturitatis testimonium adeptus vere anni 1919 studiis philologiae et germanistices operam dedi per ter sex menses Gryphiae, deinde per septies sex menses Halis Saxonum. Docuerunt me:

Gryphiae: Biermann, Debrunner, Deissner, Ehrismann, de Goltz, Heuckenkamp, Lommatzsch, Mewaldt, Pernice, Rehmke, Schmekel, Witte.

Halis Saxonum: Baehrens, Baesecke, Bechtel †, Bremer, Frischeisen-Köhler †, Karo, Kern, Liepe, Menzer, Praechter, Robert †, Schneider, Specht, Strauch, Wissowa, Wittsack, Ziehen.

Proseminarii philologi per tria semestria sodalis fui Gryphiae, per unum Halis, seminarii philologi Halensis per quinque, germanici per quattuor semestria. Praeterea ad archaeologiae et linguistices et philosophiae exercitationes me admiserunt: Pernice, Debrunner, Bechtel †, Specht, Ziehen.

Examen pro facultate docendi a. d. VII id. Nov. anni 1924 Halis Saxonum absolvi. Deinde Berolini interfui seminario paedagogico Tempelhofensi per unum annum, nunc Dahlemensis seminarii sodalis sum.

Praeceptoribus omnibus, praecipue Carolo Praechter, adiutori in hac dissertatione perficienda semper benevolentissimo, et Friderico Bechtel nuper mortuo, qui me domo sua benignissime recepit, gratias habeo quam maximas semperque habebo.